P. F. MARXUACH, S. J.

# COMPENDIUM DIALECTICAE CRITICAE ET ONTOLOGIAE

Prov. Coll

# COMPENDIUM
# DIALECTICAE, CRITICAE ET ONTOLOGIAE

# COMPENDIUM DIALECTICAE, CRITICAE ET ONTOLOGIAE

AUCTORE

P. FRANCISCO MARXUACH, S. J.

ALMA COLLEGE
102
LIBRARY
M369
Alma, California

2
6138

EUGENIUS SUBIRANA, Pontificius Editor
In via dicta Puertaferrisa, 14 - BARCINONE - 1926

7763

Imprimi potest:

Ioannes Guim, S. I., *Praep. Prov. Arag.*

---

Nihil obstat:

*El Censor:* Dr. José M.ª Llovera, Canónigo

*Barcelona, 22 de Septiembre de 1926.*

Imprímase:

† JOSÉ, Obispo de Barcelona

Por mandato de Su Excia. Ilma.,

Dr. Francisco M.ª Ortega de la Lorena
Canciller-Secretario

---

ES PROPIEDAD

---

COPYRIGHT 1926 BY
EUGENIO SUBIRANA

---

29557

# INTRODUCTIO IN PHILOSOPHIAM

**1. Definitio Philosophiae.** — I. Vox graeca PHILOSOPHIA (composita ex *phileo*, amo, et *sophia*, sapientia) etymologice accepta *amorem sapientiae* significat; sed ad ipsam sapientiam designandam adhiberi consuevit. Hoc autem, ut fertur, modestiae Pythagorae debetur, qui a Rege Leonte interrogatus quam artem vel scientiam profiteretur, respondit se non esse *sophon*, seu sapientem, sed *philosophum*, seu amantem sapientiae.

II. Ut clare et ordinate quid sit SAPIENTIA explicemus, notanda sunt quae sequuntur.

1.° Aliquam veritatem cognoscere possumus quin ad ejus causas vel rationes assurgamus (videlicet, quin sciamus *cur* illa ita sit), aut e converso rationes vel causas detegendo, in quibus illa fundatur. In primo casu simplicem veritatis cognitionem habemus; in altero cognitionem vere scientificam. Hinc infertur SCIENTIAM esse *cognitionem alicujus veritatis per ipsius causas vel rationes*.

2.° Quum causas cujusdam veritatis perscrutamur: vel sistimus in proximis, seu in illis quae adhuc explicari possunt per alias superiores, vel usque ad illas pervenimus, quae supremae sunt et ideo ultimam solutionem quaestionis propositae continent. In hoc genere cognitionis proprie Sapientia consistit, quae proinde est *cognitio veritatis per ultimas causas*, vel *scientia ad causas ultimas pertingens*.

3.° Antiquitus quilibet verus philosophus omnes omnino cognitiones scientificas sui temporis complectebatur; ideoque Philosophia definiri poterat cum Platone et Cicerone: *rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hae res continentur scientia* (De

off., l. 2, c. 2). Sed, quum nostris diebus plurimas scientias agnoscere opus esset, quibus quaestiones scientificae distribuerentur (v. Crit., n. 123); illas solas veritates Philosophia retinuit, quae ad causas rerum ultimas, aut valde generales, referuntur (1).

Porro, quum hae veritates sive in scientiis, sive in vitae practicae determinationibus passim applicari debeant; aliqua earum notitia omnibus obvia est atque proficua.

4.° Ex dictis patet Philosophiam *actualem* difficulter posse ita definiri, ut limites inter ipsam et omnes alias scientias clare designentur. Tantum dici posse videtur eam esse *scientiam, quae solo rationis lumine circa causas rerum ultimas, aut valde generales, versatur.* Dicimus *solo rationis lumine*, ut Philosophiam a Theologia dogmatica distinguamus, quae in divina revelatione fundatur.

**2. Divisio Philosophiae.** — I. Philosophia dividitur in REALEM, LOGICAM et MORALEM. Prior *agit de rebus sub communissimo conceptu* ENTIS, *et sub aliis conceptibus valde generalibus.* Altera *versatur circa actus intellectus nostri, in quantum ad res cognoscendas inserviunt.* Tertia denique *actus humanos respicit, quatenus imputabiles sunt.*

II. Philosophia realis, quae a modernis METAPHYSICA vocatur, subdividitur in GENERALEM et PARTICULAREM. Prior, quae etiam ONTOLOGIA nominatur, *agit de* ENTE *in genere ejusque attributis immediatis;* altera *versatur circa Deum, circa animam humanam et circa mundum corporeum.* Haec secunda, igitur, tres partes vel scientias complectitur: prima vocatur THEODICEA vel THEOLOGIA NATURALIS; altera, PSYCHOLOGIA; tertia denique COSMOLOGIA (2).

(1) Aliis verbis: ex magna arbore, quam (metaphorice loquendo) cognitiones scientificae nostro tempore efformant, nonnisi truncus et primi rami ad Philosophiam pertinent.

(2) Metaphysica, juxta antiquos, tantum Ontologiam nostram et Theodiceam complectebatur; Cosmologia vero et Psychologia partes erant *Physicae*, seu Philosophiae naturalis.

III. Logica (cujus nomen derivatur ex voce graeca *logos*, ratio, ratiocinium) subdividitur in duas partes: prima, quae DIALECTICA, LOGICA MINOR, vel simpliciter LOGICA nominatur, *docet modum ordinandi actus intellectuales ad assequendas veritates, seu cognitiones, scientificas;* altera, quae nomine LOGICAE MAJORIS, CRITICAE vel CRITERIOLOGIAE designatur, *declarat valorem facultatum cognoscitivarum ad certitudinem producendam, atque naturam scientiae.*

IV. Moralis Philosophia, quae etiam ETHICA vocatur, subdividitur in GENERALEM et SPECIALEM. Illa *agit in genere de officio, seu obligatione, et de jure;* secunda vero *de officiis et juribus individualibus, domesticis, civilibus et internationalibus.*

V. Philosophia etiam dividitur in SPECULATIVAM et PRACTICAM, prout sistat in mera contemplatione veritatis, vel deducat regulas agendi. Prior totam Philosophiam realem comprehendit; altera vero Logicam (quae regulas dat intellectui ad recte ratiocinandum) et Moralem (quae normam proponit recte vivendi).

**3. De ordine sequendo in Philosophia tradenda.** — In qualibet Philosophiae parte docenda, opus est aliquas notiones praesupponere, quae in aliis tractatibus declarandae sunt. Hinc autem magna oritur diversitas opinionum circa ordinem, quo Philosophiae partes doceri debent; atque nullus assignari potest, qui omni incommodo vacet. Nobis quidem hic tractatuum ordo magis in praxi discipulis prodesse videtur: Dialectica, Critica, Ontologia, Cosmologia, Psychologia, Theodicea, Ethica. Porro in praesenti volumine tres tantum priores tractatus exponemus.

**4. De subordinatione agnoscenda inter Philosophiam et alias scientias.** — I. PHILOSOPHIAE SUBORDINANTUR OMNES ALIAE SCIENTIAE NATURALES. Facile enim intelligitur nullam scientiam regulas Logicae transgredi posse, neque principiis et conclusionibus certis contradicere Metaphysicae generalis, quae propter suam universalitatem ubique valent.

II. PHILOSOPHIA SUBORDINARI DEBET THEOLOGIAE DOGMATICAE. Etenim praestantia unius scientiae respectu alterius deduci debet et ex objectorum suorum nobilitate, et ex gradu certitudinis, quo illud attingunt; jamvero in utraque re Theologia Philosophiam vincit. Vincit in nobilitate objecti; quia versatur circa Deum ut auctorem ordinis supernaturalis, et circa alias ejusdem ordinis veritates, ad quem Philosophia non pertingit. Etiam vincit in gradu certitudinis; siquidem philosophica ratiocinia nituntur principiis, quae solo lumine constant fallibilis rationis humanae, dum Theologia fundatur in divina revelatione absolute infallibili.

Postea hoc ipsum uberius attingemus, sed ex dictis jam intelligitur quam graves sint, et quam juste damnati fuerint per *Syllabum* (v. Denz.-Ban., 1701 et seq.) errores rationalistarum, qui omnes veritates per revelationem cognitas despiciunt, et consequenter sive in Philosophia sive in aliis scientiis cum absoluta independentia a Fide sese gerere volunt. Nec nobis objiciatur quod scientiam revelationi subordinare, impediat progressum humanum in veritate scientifica adipiscenda, huic enim non veritas revelata, sed solum error opponitur.

**5. De utilitate Philosophiae.** — I. PHILOSOPHIA UTILIOR EST OMNIBUS ALIIS SCIENTIIS NATURALIBUS AD INTELLECTUM NOSTRUM PERFICIENDUM; quia versatur circa objecta nobiliora, vel ea excellentiori modo considerat.

II. PHILOSOPHIA UTILIS EST ALIIS SCIENTIIS; tum quia dat regulas recte ratiocinandi et veritatem ab errore discernendi, tum quia tradit principia suprema a quibus praescindere nequit ulla scientia, si vult ut suae veritates solidis fundamentis innitantur.

III. PHILOSOPHIA MULTUM INFLUIT IN HOMINUM MORIBUS, SIVE PRIVATIS, SIVE PUBLICIS. Illud primum, quia exhibet suprema fundamenta moralitatis, atque leges et officia, quibus omnis homo suos mores accommodare tenetur. Alterum, quia veras notiones determi-

nat justi et injusti, societatis, auctoritatis, libertatis, etc., ex quarum ignorantia vel mala intelligentia modernae perturbationes sociales potissimum ortae sunt.

IV. PHILOSOPHIA ETIAM UTILIS EST RELIGIONI; demonstrat enim praeambula Fidei, ut sunt spiritualitas, immortalitas et libertas animae, existentia Dei ejusque attributa, possibilitas, utilitas et factum Revelationis; demum plurimos refellit errores et fallacias, quibus Religio a suis inimicis impetitur.

**6. Brevis recensio chronologica praecipuorum Philosophiae cultorum.** — Inter priscos philosophos eminent Phytagoras (m. circa — 500), Socrates (m. — 400), Plato (m. — 347), et paulo postea Aristoteles (m. — 322), qui doctrinam Platonis in pluribus emendavit.

Primis Ecclesiae saeculis apologetae et Sancti Patres ad exponendas et defendendas veritates Fidei adhibuerunt Philosophiam graecam, praesertim platonicam. Inter hos recensendi sunt Clemens Alexandrinus (m. ante 216), Origenes (m. 254), S. Augustinus (m. 430) et Boëtius (m. circa 525).

Saeculis 11 et 12, philosophi arabes, ut Avicenna (m. 1037) et Averrhoes (m. 1192) iterum exposuerunt doctrinam aristotelicam, sed eam novis foedarunt erroribus.

Saeculis 12 et 13 vocari coeperunt *scholastici* illi viri qui in praecipuis universitatibus munere docendi fungebantur. Inter hos nominandi sunt Sanctus Anselmus (m. 1109), Alexander Halensis (m. 1245), Sanctus Bonaventura (m. 1274), Sanctus Thomas (m. 1274), Henricus Gandavensis (m. 1293), Duns Scotus (m. 1308) et Aegidius Romanus (m. 1316).

Sanctus Thomas strenue contra averrhoismum pugnavit (anno 1270 ab episcopo parisiensi damnatum) et philosophiam aristotelicam, propriis et arabicis purgatam erroribus, cum veritate christiana consociavit. Doctrina et methodus Sancti Thomae initio quidem impugnata est, tum quia opponebatur platonismo San-

cti Augustini, quem priores scholastici sequebantur, tum quia damnatio averrhoismi reddidit suspectum aristotelismum; sed brevi plenam victoriam obtinuit.

Philosophi, qui saeculo 14 extiterunt, tricas et steriles subtilitates quaerentes, a soliditate doctrinae aberrarunt. Hujus temporis sunt Aureolus (m. 1321), Durandus (m. circa 1333), et Ockam (m. circa 1349).

Saeculis 15 et 16 Capreolus (m. 1444), Vitoria (m. 1546), Cano (m. 1560), Soto (m. 1560), Bañez (m. 1604) et alii reversi sunt ad doctrinam Sancti Thomae, quam sequendam et certo modo interpretandam suis alumnis imposuit Ordo Praedicatorum. Eodem tempore Ordo Sancti Augustini (1580) suis doctoribus praescripsit propugnandam doctrinam Aegidii Romani; et paulo postea Ordo Sancti Francisci (1593) sequendum decrevit Duns Scotum.

Ad finem saeculi 16 apparuerunt primi scriptores Societatis Jesu, anno 1540 a Paulo III canonice institutae (quae jam ab initio Sanctum Thomam sibi sequendum proposuit, sed cum prudenti libertate). Inter ipsos nominandi sunt Molina (m. 1600), Valencia (m. 1603), Vázquez (m. 1604), Suárez (m. 1617), Bellarminus (m. 1621), Lessius (m. 1623), Ruiz de Montoya (m. 1632) et Lugo (m. 1660).

Etiam saeculo 17 floruerunt Descartes (m. 1650), Locke (m. 1704), Leibniz (m. 1716) et alii qui antiquam Philosophiam novis doctrinis substituere coeperunt.

Toto saeculo 18 nova Philosophia propagata est, inter cujus impugnatores nominari meretur Lossada (m. 1748) (1). Hoc eodem saeculo, Kant (m. 1804) fundamenta jecit rationalismi moderni, eumque secuti sunt inter alios Hegel (m. 1831) et Krausse (m. 1832).

Demum saeculo 19 sanam Philosophiam reviviscere fecerunt Balmes (m. 1848), Taparelli (m. 1862), Kleut-

---

(1) *Cursum philosophicum* hujus auctoris passim citabimus, quia magni meriti est, et quia in ejus editione barcinonensi, 1883, decem parvos tomos complectente, non facile res inveniuntur.

gen (m. 1883), Liberatore (m. 1892); eamque nostris diebus praeclarissimi viri excolunt.

Nos, ut hoc obiter moneamus, Sanctum Thomam, angelicum Patronum scholarum catholicarum, ejusque discipulum praeclariorem Franciscum Suárez, Doctorem Eximium a Paulo V nuncupatum, in nostris doctrinis plerumque sequemur.

# DIALECTICA

## NOTIONES PRAELIMINARES

**1. Dialectica** (cujus nomen est vox graeca, a verbo *dialego*, colloquor, derivata), ut jam diximus, modum recte ratiocinandi docere intendit. Sed antequam de ratiocinio agatur, opus est aliqua declarare de aliis actibus intellectus nostri, et de vocibus, quae illos naturaliter comitantur atque exprimunt. Postea vero addenda videtur aliqua tractatio de methodo, seu modo activitatem intellectus ad veritatem detegendam applicandi.

**2. De natura et utilitate Dialecticae.**—I. DIALECTICA EST ARS ET SCIENTIA. Etenim ipsa, ut statim videbimus, non modo tradit regulas ad recte ratiocinandum, verum etiam illarum regularum rationem dat.

II. DIALECTICA UTILISSIMA EST. Magna utilitas Dialecticae clare deducitur ex necessitate servandi regulas, quas ipsa tradit, tum ad bene procedendum in ratiociniis complicatis circa difficiles materias, tum ad vitium detegendum in subtilibus sophismatibus, quae contra ipsas veritates majoris momenti a pluribus excogitantur et proponuntur.

**3. Divisio actuum intellectus.** — Praecipui actus intellectus nostri in tres classes dividuntur; possunt enim esse CONCEPTUS *sive* APPREHENSIONES, JUDICIA vel RATIOCINIA. Per conceptum, seu apprehensionem intellectualem, *cognoscimus aliquid quin de ipso quidquam affirmemus vel negemus;* v. gr., quum mente concipimus aliquem hominem nihil de ipso judicantes vel dicentes. Per judicium *affirmamus vel negamus aliquid de aliqua re;* v. gr., quum dicimus *homo est rationalis*, — *circulus non est quadratus*. Per ratiocinium *deduci-*

*mus aliquam veritatem hucusque ignotam ex aliis jam notis;* v. gr., quum dicimus *ens sensibilitate praeditum est animal*, *homo est ens sensibilitate praeditum*, *ergo homo est animal.*

**4. Divisio Dialecticae.** — Ex dictis circa materiam in Dialectica exponendam atque ex divisione actuum intellectus, infertur hanc partem Logicae naturaliter subdividi in quatuor capita seu partes, quarum prima agat de conceptu seu apprehensione mentali, secunda de judicio, tertia de ratiocinio, quarta demum de methodo.

Plures auctores has quatuor partes ad tres reducunt: prima versatur circa *materiam* Logicae (apprehensiones seu conceptus), altera circa *formam* seu dispositionem logicam materiae (judicia et ratiocinia), denique tertia circa modum obtinendi *finem* Logicae (methodum scientificum). Aliqui, conceptus considerant tamquam *materiam remotam*, judicia tamquam *materiam proximam*, et sola ratiocinia relinquunt parti quae de *forma* agit. Alii e converso studium conceptuum, judiciorum et ratiociniorum in Logica *generali* seu *formali* includunt, et nomen dant Logicae *specialis* seu *materialis* Methodologiae.

# CAPUT I

## DE CONCEPTU MENTALI ALIISQUE QUAESTIONIBUS AFFINIBUS

**5. Divisio hujus capitis.** — Materiam huic capiti respondentem, sex articulis exponemus: in 1.°, declarabimus, in quantum Logicae interest, naturam conceptus mentalis, atque vocum, quibus conceptus nostri exprimuntur; in 2.°, de terminis judicii vel propositionis agemus; in 3.°, de suppositione, appellatione et alienatione terminorum; in 4.°, de praedicabilibus et praedicamentis, in quae dividuntur notiones universales atque

entitates reales in his comprehensas; demum in 5.° et 6.° definitionem et divisionem explicabimus; quamvis enim aliqui auctores eas post judicium et ratiocinium exponendas relinquant, nobis melius videtur illarum studium praemittere, siquidem ipsae ad perficiendos conceptus multum inserviunt.

## ARTICULUS I

### De natura logica conceptus mentalis, atque vocum quibus ipse exprimitur

**6. Definitio conceptus seu verbi mentalis.** — I. Conceptus seu verbum mentale est *illa expressio vel repraesentatio objecti cogniti, quae in mente cognoscentis efformatur*. Quia, ut unumquemque docet experientia propria, ex una parte intellectus, quum aliquam rem cognoscit, aliquid operatur, ex alia autem nihil facit extra se; jamvero, illud quod intra se producit et quo *cognoscens* redditur, nomine *conceptus* seu *verbi mentalis* designatur. Dicitur *conceptus*, quia intra ipsam mentem producitur, et *verbum*, quia est quaedam vox seu locutio interna qua mens sibi alloquitur. Etiam vocatur *idea* (vox graeca significans *exemplar*), quia suo modo est imago objecti, ut declarat Psychologia.

II. Conceptus mentalis vocatur *formalis* vel *subjectivus*, ut distinguatur a *conceptu objectivo*, ut ajunt, qui est ipsa res cognita quatenus talis, sed prout menti apparet ope conceptus formalis. Huic (praesertim quum est generalis, sicut conceptus *homo*) atque ejus objecto, ita accepto sicut cognoscitur, tribuitur nomen *notionis*, vel etiam *rationis*.

III. Ad exponendam naturam conceptus, sub consideratione propria Logicae, oportet distinguere in ipso *comprehensionem* et *extensionem*, atque declarare quomodo ipse sit *signum*.

**7. Comprehensio et extensio conceptus.** — I. In

omni conceptu distinguendae sunt hae duae proprietates. Prior, quae etiam *intensio* nominatur, constituitur per *complexum elementorum quae in idea continentur;* altera consistit in *complexu individuorum quibus ipsa convenit.* Sic, complexus elementorum *animal* et *rationale* constituit comprehensionem ideae *homo; Petrus* autem *Joannes*, *etc.* efformant illius extensionem. Haec individua vocantur *subjecta ideae*, quia tale munus in propositione habent, v. gr., quum dicimus *Petrus est homo.*

II. COMPREHENSIO ET EXTENSIO CONCEPTUS SE HABENT (generaliter loquendo) IN RATIONE INVERSA, ut ajunt. Etenim conceptus *animal rationale*, v. gr., magis comprehensivus est quam simplex conceptus *animal*, ut patet; sed ideo non convenit irrationalibus, et consequenter habet minorem extensionem.

**8. Definitio et divisio signi.** — I. Sensu stricto dari solet de SIGNO definitio Sancti Augustini: *est quidquid praeter cognitionem sui suscitat in mente cognitionem alterius rei;* sic, *respiratio* est signum vitae. Sensu magis lato definitur: *quidquid notum reddit aliquid a se distinctum;* ita, conceptus mentalis est signum, etenim notum reddit objectum, quamvis ipse non sit proprie aliquid cognitum.

II. Ex variis signi divisionibus illam tantum afferemus in qua illud relate ad rem significatam consideratur. Ita autem dividitur in NATURALE et AD PLACITUM. Signum naturale *habet cum re significata connexionem independentem ab arbitrio hominum;* signum vero ad placitum *habet cum illa connexionem dependentem ab arbitrio hominum.* Ita *fumus* est signum naturale ignis et conceptus mentalis signum naturale sui objecti; *sonitus* autem *campanae* ad Missam est signum ad placitum.

Aliqui auctores nomen tribuunt signi *ex consuetudine*, rei quae nec est proprie signum *naturale*, neque ex industria adhibetur ut signum. Sic extensio mappae in mensa est signum prandii.

**9. Quomodo voces sint signa.** — I. Omnes sponte propendemus ad conceptus animae proximis nostris communicandos; et inter signa quibus hi manifestari possunt, nullum magis obvium atque excellentius habetur quam voces. Hae igitur SUNT SIGNA NATURALIA CONCEPTUUM NOSTRORUM, quatenus a natura facultatem loquendi accepimus ad illos exprimendos. Sunt tamen signa *ad placitum*, quatenus nulla vox est ex se destinata ad talem conceptum et non alium manifestandum; et ideo habetur tanta diversitas linguarum, et eadem vox alia significat in aliis linguis.

II. VOCES SUNT ETIAM SIGNA OBJECTORUM; quum enim institutae sint ad exprimendos conceptus nostros, et hi signa objectorum sint, etiam voces objecta significare debent.

III. Quod directe dicitur de vocibus ore prolatis, applicari potest, ut patet, scriptioni earum.

## ARTICULUS II

### De terminis judicii vel propositionis

**10. Definitio termini.** — TERMINUS est *quaelibet ex duabus partibus in quas immediate resolvitur judicium, quum adimitur copula* (verbum *esse* explicitum vel implicitum; cum negatione, si haec habetur). Ita, v. gr., si in judicio vel propositione *anima humana non est mortalis*, tollitur copula *est* cum negatione adjuncta, remanent termini *anima humana* et *mortalis*. Porro hujusmodi partes (quarum, ut apparet, altera gerit munus subjecti, altera vero praedicati) hoc nomen *termini* accipiunt, quia omne ratiocinium resolvi potest in judicia, haec autem in subjectum et praedicatum, in quibus Dialectica *terminat* analysim operationum mentalium et locutionum eas exprimentium.

**11. Divisio termini ex suo modo significandi.** — I. Terminus dividitur in SIMPLICEM et COMPOSITUM. Ille

est simplex, *qui non coalescit ex partibus intra ipsum habentibus significationem propriam;* v. gr., *homo*, *Salmantica* (quamvis *sal* et *mantica* habeant separatim significationem propriam) ; terminus compositus est ille qui *constat partibus habentibus intra ipsum significationem propriam*, v. gr., *substantia vivens*.

II. Dividitur in ABSOLUTUM et RELATIVUM. Est relativus si *exprimit suum objectum ut connexum vel comparatum cum alio*, v. gr., *pater*, *major;* absolutus vero si *nullam connexionem aut comparationem exprimit*, v. gr., *ens*, *spiritus*.

**12. Ex gradu perfectionis.** — Dividitur conceptus, seu terminus mentalis, in CLARUM *seu* DISTINCTUM et OBSCURUM *seu* CONFUSUM. Prior *permittit distinguere suum objectum a quolibet alio;* talis est conceptus quem habemus de *circulo*. Alter *non sufficit ad distinguendum suum objectum a quolibet alio;* sic qui nescit utrum aliquod astrum sit planeta vel satelles, habet de illo ideam obscuram seu confusam. Multi auctores tamen censent non esse idem conceptum clarum ac distinctum, neque obscurum ac confusum, et aiunt conceptum clarum esse distinctum aut confusum prout manifestet vel non aliquam ex notis praecipuis sui objecti.

Aliae divisiones conceptus ex ejus perfectione desumptae, non videntur hujus loci propriae.

**13. Ex modo quo objectum proponit.** — I. Dividitur terminus mentalis, seu conceptus, in INTUITIVUM et ABSTRACTIVUM. Conceptus intuitivus, ut ipsum nomen indicat, *suum objectum proponit sicut visio ocularis*, seu *ita reddens illud patens in se ipso*, *ut ejus existentiam persuadeat;* talis est conceptus quem habeo de papyro in qua scribo. Conceptus non intuitivus dicitur *abstractivus;* talis est idea quam habemus de persona absente.

II. Dividitur terminus in ABSTRACTUM et CONCRETUM. Ad hanc divisionem explicandam praemittere oportet animadversionem sequentem. Ut aliquod praedica-

tum cum veritate tribui possit alicui subjecto, v. gr., ut dicatur de *Petro* eum esse *hominem* aut *sapientem*, opus est ut *aliquid* detur propter quod illud subjectum mereatur tale praedicatum, scilicet, ut habeat *humanitatem* (naturam humanam, corpore et anima constitutam), aut *sapientiam*. Porro *hoc aliquid*, seu *ratio propria et adaequata ut cum veritate affirmari possit aliquod praedicatum de aliquo subjecto*, vocari solet *forma* simpliciter, sed ad vitandas confusiones vocandum videtur *forma logica*, siquidem quamvis aliquid physicum semper sit, potest esse vel non esse forma physica, praesertim respectu subjecti, cui de facto logice applicatur (1). — Hoc supposito, terminus abstractus (in hac divisione) ille est, *qui significat aliquam formam logicam tamquam avulsam ab omni subjecto*,

---

(1) Forma *physica*, ut ex dicendis in Ontologia constabit, debet esse adaequate distincta a suo subjecto, eique intime conjuncta. Sed forma logica *hominis* cum ipso identificatur, neque est sola *anima*, sed *etiam corpus;* forma logica *cogniti* est *cognitio* in alio existens; et forma logica *divitis* sunt *divitiae*. Illa forma logica, quae realiter et adaequate cum suo subjecto identificatur, vocari solet *metaphysica*.

His formis logicis alluditur, quum dicitur, v. gr., aliquod subjectum esse *formaliter* album, vel illud habere albedinem *formalem*, ad exprimendum esse album sensu proprio et rigoroso.

Termini concreti permittunt ex se formam logicam totaliter distingui a suo subjecto, sicut *divitiae* distinguuntur ab homine qui denominatur *dives*. In hoc casu subjectum, et in genere *illud cui terminus applicatur*, dicitur juxta terminologiam scholasticam, venire *in recto* (scilicet, in nominativo); forma autem, et in genere *illud cui terminus non applicatur sed eo solo deficiente terminus applicari non posset*, dicitur venire *in obliquo* (seu, in casu distincto a nominativo).

Hinc patet: 1.°, terminum concretum (v. gr., terminum *dives*) non sonare idem ac *subjectum* **et** *talis forma logica* (subjectum et divitiae), sed idem ac *subjectum* **cum** *tali forma logica*, vel **habens** *talem formam logicam*, vel **praeditum** *tali forma logica* (subjectum cum divitiis, vel habens divitias, vel praeditum divitiis); 2.°, formam logicam, si quando ipsa identificatur cum subjecto, vel in illo includitur ut pars, realiter venire *in recto*, sicut *humanitas* in concreto *homo* (excepto casu quo hic terminus Christo Domino applicatur, ut declarant theologi).

Si in aliquo concreto considerantur illa praedicata quae conveniunt complexui ex subjecto et forma logica, vel illa quae subjectum ipsi debet, concretum objectivum dicitur sumi *in quantum tale* seu *reduplicative;* si vero e contra considerantur praedicata independentia a forma logica illius concreti, hoc sumitur *quoad subjectum*, vel *specificative*. Sic, de aliquo *divite* sumpto *reduplicative* dicitur eum posse facere multas eleemosynas, sumpto autem *specificative* eum habere talem staturam.

v. gr., *humanitas*, *sapientia;* concretus autem *significat implicite et simul subjectum et formam logicam*, v. gr., *homo*, *sapiens*.

III. Sub consideratione *logica* terminus concretus simplex dicitur SUBSTANTIVUS, si non supponit jam designatam alio termino rem cui applicatur, v. gr., *Petrus*, *homo;* ADJECTIVUS vero in casu opposito; v. gr., *bonus*, *altus*. In hoc sensu terminus abstractus semper est substantivus; terminus autem adjectivus ex se non est aptus ad munus subjecti.

**14. Ex modo quo objecto applicatur.** — Dividitur terminus in UNIVOCUM, AEQUIVOCUM et ANALOGUM. Est univocus ille *qui semper applicatur eodem sensu*, v. gr., *homo*. Aequivocus, ille *qui applicatur diversis objectis sensu prorsus distincto*, v. gr., terminus *leo* applicatus quibusdam animalibus et cuidam constellationi. Demum analogus, ille *qui applicatur variis objectis sensu partim eodem*, *partim diverso*, scilicet, aliquibus sensu proprio, aliis vero per accommodationem. Illa priora, quibus sensu proprio applicatur terminus, constituunt *principale analogatum*.

Analogia dividitur in analogiam PROPORTIONIS et ATTRIBUTIONIS. Prior *fundatur in similitudine quam cum principali analogato habent cactera*, v. gr., quum de homine forti dicimus eum esse *leonem*. Analogia attributionis fundatur in relationibus *causae*, *effectus* vel *signi*, quae intercedunt inter analogata secundaria et principale vel hujus forma logica; sic, v. gr., esse *sanum* dicitur de medicina, colore, etc., propter horum relationem cum *sanitate* viventis (v. Los., *Log.*, tr. 4, c. 1 — tm. 3, p. 105).

Quidam auctores admittunt insuper analogiam *physicam* et analogiam *metaphysicam*, quae cohaerere possunt cum univocitate modo explicata, seu *logica*. De illis loquemur in Ontologia (n. 177).

**15. Ratione extensionis.** — I. Dividitur terminus in TRANSCENDENTALEM, UNIVERSALEM et SINGULAREM. Transcendentales dicuntur *termini generalissimi qui conve-*

*niunt Deo et omnibus creaturis, sive existentibus, sive possibilibus*, v. gr., *ens, aliquid* (1). Dicitur universalis ille terminus *qui variis individuis convenit sensu univoco*, v. gr., *homo, leo*. Est singularis ille *qui designat aliquod individuum singulare*, v. gr., *Petrus, haec arbor*. Aliqui addunt terminum *particularem* seu *singularem vagum*, v. gr., *quidam homo, aliqua mulier*, quem alii ut universalem considerant.

Omnes termini, qui non sunt singulares sunt ABSTRACTIVI (n. 13, I), et passim vocatur ABSTRACTI, quamvis alio sensu (v. n. 13, II) sint concreti, ut *homo* in genere.

II. Dividitur terminus in COLLECTIVUM et DISTRIBUTIVUM. Collectivus ille est, *qui applicatur pluribus individuis simul sumptis*, v. gr., *familia, exercitus*. Distributivus *applicari potest variis individuis singillatim*, v. gr., *arbor, homo*. Ut haec divisio completa esset, terminus singularis censeri deberet distributivus.

**16. Notanda.** — Juxta notiones n. 15 traditas: 1.°, terminus oralis tantum est analogus, vel aequivocus, quum illi respondent duo vel plures termini mentales (sicut termino orali *leo*, prout sermo sit de feris, de hominibus strenuis, vel de constellationibus); 2.°, omnis terminus mentalis, qui unicus quum sit, separatim convenit pluribus individuis, sicut terminus *homo* convenit Petro, Paulo, etc., necessario est univocus (logice), etenim idem conceptus mentis nequit habere modo unum sensum modo alium, si omnino immutatus manet; 3.°, terminus mentalis potest esse analogus alii, vel aliis, cum quibus partim conveniat.

---

(1) In hodierna terminologia vocatur *transcendens* vel *transcendentale* illud quod nequit esse objectum experientiae sensibilis.

## ARTICULUS III

### DE SUPPOSITIONE, APPELLATIONE ET ALIENATIONE TERMINORUM

**17. Definitio suppositionis.**—SUPPOSITIO est *determinatus sensus, quem terminus oralis habet, ex intentione loquentis;* saepe enim idem terminus oralis varios sensus habere potest, ut ex dicendis patebit.

**18. Divisio suppositionis.** — I. Suppositio dividitur in MATERIALEM et FORMALEM. Est materialis, si *terminus accipitur pro se ipso;* v. gr., quum dicitur *Petrus est vox.* Est formalis, si *terminus accipitur ut significans aliquid a se distinctum, seu pro re distincta;* v. gr., quum dicitur *Petrus est homo.*

II. Suppositio formalis subdividitur in LOGICAM et ONTOLOGICAM. Est logica, *si res significata accipitur ut cognita per conceptum termino orali respondentem;* v. gr., si quis dicit *homo est species.* Est autem ontologica, *si res accipitur ut invenitur a parte rei;* v. gr. si dicitur *homo currit.*

III. Suppositio ontologica termini universalis subdividitur in DISTRIBUTIVAM, COPULATIVAM, DISJUNCTIVAM *vel* PARTICULAREM, et CONFUSAM *vel* INDETERMINABILEM. Est distributiva, *si terminus universalis accipitur pro omnibus inferioribus singulatim;* v. gr., quum dicitur *leones rugiunt.* Est copulativa, *si terminus universalis accipitur pro tota collectione inferiorum;* v. gr., quum dicitur *Apostoli sunt duodecim.* Est disjunctiva vel particularis, *si terminus universalis accipitur pro aliquo inferiore determinato a parte rei,* quamvis ex modo significandi non determinetur; v. gr., si dicitur *homo currit.* Est confusa vel indeterminabilis, *si terminus universalis accipitur omnino vage pro suis inferioribus,* ita ut in his nulla determinatio fieri possit; v. gr., si dicitur *equus requiritur ad equitandum,* quia

de nullo dici potest *hic equus requiritur ad equitandum.*

IV. Eadem suppositio etiam subdividitur in NATURALEM et RESTRICTAM. Est naturalis, *si terminus accipitur pro omnibus inferioribus suis*, sive existentibus, sive praeteritis, sive futuris, sive pure possibilibus; v. gr., quum dicitur *homo est rationalis.* Est restricta, *si terminus accipitur pro inferioribus aliquo modo determinatis, saltem a parte rei;* v. gr., si dicitur *homo currit.*

V. Ratione temporis pro quo exigitur existentia rei significatae, suppositio restricta potest esse PER STATUM, vel PER AMPLIATIONEM. Est per statum, *si solum exigitur existentia rei pro tempore importato per verbum primo aspectu;* v. gr., si dicitur *Adamus extitit, ego existo, Anti-Christus existet.* Est per ampliationem, *si exigitur existentia rei extra tempus importatum per verbum primo aspectu;* v. gr., si dicitur *caeci vident.*

Loquimur de tempore importato per verbum *primo aspectu*, quia saepe ipsum quoque verbum, prima facie praeseferens certam aliquam temporis differentiam, ampliatur ad alia tempora; v. gr., si dicitur *praedestinati salvantur.*

**19. De appellatione.** — APPELLATIO est *applicatio significati unius vocis ad significatum alterius*, ut fit, v. gr., dicendo *homo doctus.* Diximus *vocis* et non *termini*, quia applicari potest significatum *adverbii*, v. gr., si dicitur *fortiter pugnans.*

Vox cujus significatum applicatur, dicitur APPELLANS; et terminus cui applicatio fit, vocatur APPELLATUS. In termino composito, pars appellans restringit suppositionem partis appellatae, v. gr., in termino *homo doctus.*

Si appellatio fit supra terminum concretum, dividitur in FORMALEM et MATERIALEM. Est formalis, si fit ratione formae logicae quam significat terminus appellatus, v. gr., si dicitur *album est coloratum.* Secus est materialis, v. gr., si dicitur *album est dulce.*

**20. De alienatione.** — ALIENATIO, quando non fit per

solam metaphoram aut ironiam, est *distractio vocis ad impropriam significationem vi alicujus additamenti;* v. gr., quum dicitur *homo* PICTUS *est pulcher*, vel *lignum est* COMBUSTUM, nam homo pictus non est proprie *homo*, et res combusta non proprie *est*.

In propositionibus aeternae veritatis, v. gr., *homo est animal rationale*, verbum *est* alienatur ad significandam existentiam mere hypotheticam aut idealem.

## ARTICULUS IV

### DE PRAEDICABILIBUS ET PRAEDICAMENTIS

**21. Definitio et divisio praedicabilium.** — PRAEDICABILIA, vel etiam CATEGOREMATA (ex graeco *catagoreyo*, praedico, enuntio), dicuntur *quinque membra seu collectiones in quas dividi solent notiones universales propter diversum modum quo conveniunt subjectis, de quibus praedicari possunt* (v. Los., *Log.*, tr. 3 — tm. 3, p. 5).

Earum divisio fieri posset primum in tria membra, quae respective comprehenderent: notiones convenientes subjecto per identitatem (id est, quarum forma logica consistat in sola entitate subjecti), notiones illi convenientes exigentia naturali, et notiones contingenter illi convenientes. Primum membrum subdivisum in SPECIEM, GENUS et DIFFERENTIAM SPECIFICAM, simul cum aliis duobus: PROPRIUM et ACCIDENS, praebet divisionem ordinariam in quinque membra.

SPECIES est *notio universalis includens* (magis vel minus confuse) *omnia praedicata convenientia per identitatem pluribus entibus, vel entitatibus, quae in classificatione philosophica non subdividuntur;* talis est conceptus philosophicus *homo* conveniens individuis *Petro, Joanni, Mariae, etc.*

GENUS est *notio universalis in variis speciebus inclu-*

*sa;* sic, conceptus *animal* est genericus, quia communis est speciebus, *homo*, *canis*, *equus*, *etc.*

DIFFERENTIA SPECIFICA est *notio universalis inclusa in una sola specie*, *quae per illam distinguitur ab omnibus aliis*, seu *notio universalis quae applicata generi minus communi constituit speciem;* talis est conceptus *rationale*, qui, conjunctus generi *animal*, efformat speciem *homo*, distinctam ab speciebus *equus*, *canis*, *etc.*, cum quibus communem habet *animalitatem.*

PROPRIUM seu ATTRIBUTUM est *notio universalis*, *quae non convenit per identitatem suo subjecto*, *sed naturaliter deesse nequit illis qui sunt ejusdem generis vel speciei*, sicut extensio actualis corporibus.

ACCIDENS (in hac divisione) est *notio universalis quae naturaliter potest convenire vel non convenire subjecto*, v. gr., *albedo* aut *vestis* homini.

**22. Coordinatio conceptuum genericorum.** — Quum eidem subjecto plures conceptus generici plerumque conveniant, operae pretium est scire quomodo coordinari debeant. Ad hoc autem, considerantur tamquam superiores illi conceptus qui universaliores sunt, et ex ipsis gradatim descenditur ad minus universales. Notiones transcendentales, seu convenientes omnibus omnino rebus, ut *ens*, relinquuntur extra hanc gradationem. Illae, quae tantum habent supra se notiones transcendentales, vocantur *genera suprema*, et sunt SUBSTANTIA atque ACCIDENS, quorum idea adumbrabitur in n. 25. Haec subdividuntur pluries ope notionum differentialium (ut videbitur respectu substantiae in n. seq.), et ita efformantur *genera intermedia*, donec perveniatur ad *infima*, quorum subdivisio dat *species*, quae jam non subdividuntur. Ut facile intelligitur, dantur etiam differentiae *supremae*, *intermediae* et *infimae*. Genera intermedia et infima interdum vocantur, quamvis improprie, *species* respectu generum proximorum quae ipsis praecedunt, et ita habentur *species supremae* et *intermediae* praeter *infimas*, quas in numero praecedenti definivimus.

**23. Tabella in qua descenditur a substantia ad hominem per genera intermedia.** — In sequenti tabella, prima columna exhibet *genera* substantiae a supremo usque ad infimum, seu proximius, respectu hominis; secunda, *differentias* quibus haec genera dividuntur; tertia, denique, *species* his differentiis constitutas (quae etiam genera sunt homine superiora) ipsamque infimam speciem *homo*.

| | | |
|---|---|---|
| Substantia. . | Immaterialis | |
| | Materialis | Corpus |
| Corpus . . . | Inorganicum | |
| | Organicum | Vivens |
| Vivens . . . | Insensitivum | |
| | Sensitivum | Animal |
| Animal . . . | Irrationale | |
| | Rationale | Homo |
| | | Individua A, B, C,... |

**24. De categoriis, seu praedicamentis.** — I. A tempore Aristotelis ita vocantur *decem collectiones, seu membra, in quae dividuntur res vel entitates reales propter diversa praedicata ab ipsis desumpta*. Dicimus *res vel entitates*, quia haec ultima vox facilius extenditur ad illas etiam realitates, quae propter suam tenuitatem non videntur mereri simpliciter nomen *entis* vel rei (v. Los., *Log.*, tr. 4, c. 2; *Met.*, dp. 3 — tm. 3, p. 111; tm. 10, p. 175).

II. Quamvis inquirere naturam entitatum realium sit objectum proprium Philosophiae realis, nihilominus de singulis praedicamentis aliquam notionem jam nunc dandam esse censemus, ut mens citius assuescat has supremas notiones recte in suis ratiociniis adhibere.

**25. Divisio entitatum realium in substantiam et accidens.** — Entitates reales dividuntur in duo genera suprema, scilicet, in SUBSTANTIAM et ACCIDENS; sufficit enim levis attentio ad illa quae intra nos et extra nos occurrunt, ut detegatur dari aliquas entitates quae

tantum possunt existere, saltem naturaliter, in aliqua re distincta tamquam perfectio seu complementum illius, v. gr., *calor*, *lux*, *cogitationes;* et insuper dari res naturaliter existentes in se, id est non in alia re distincta tamquam perfectio et complementum ejus, v. gr., *ferrum*, *arbor*, *homo*. Jamvero, illae entitates vocantur *accidentia* (physica), hae autem res *substantiae* (1).

Quum illud ad quod magis attendit Logica in accidentibus *physicis* sit ea posse perire vel mutari, manente substantia, quam pro subjecto habent; ideo per quamdam extensionem *accidens logicum* vocatur *quaelibet forma logica sine qua ejus subjectum manere valet*. Sic, saepe est accidens logicum determinati subjecti, vel substantia aliena, vel accidens physicum alterius subjecti. Penultimum praedicabile (n. 21) est accidens physicum, ultimum vero potest esse mere logicum.

**26. Subdivisio accidentis.** — Ut jam indicavimus, accidens praedicamentale, seu logicum, subdividitur in novem genera, quae nunc declaranda videntur.

I. QUANTITAS est *accidens physicum in quo consistit exigentia naturaliter infrustrabilis, quam corpora habent, occupandi determinatum volumen*. Actualis EXTENSIO, seu occupatio alicujus voluminis, definitur *positio partium extra partes*. Volumen seu magnitudo extensionis alicujus corporis mensuratur ex comparatione cum alio, quod assumitur tamquam unitas seu typus.

II. RELATIO est *accidens* (saepe pure logicum) *conferens subjecto aliquod praedicatum relativum*, seu ex illis quae tribui nequeunt ulli subjecto, quin aliud prae oculis habeatur. Sic, *paternitas* est relatio, quia praedicatum *pater* connotat aliquem *filium*. Relatio vocatur etiam *ordo*, *habitudo* et *respectus*.

(1) In Ontologia dabitur accuratior notio *substantiae* et *accidentis*, atque divisio prioris in *completam* et *incompletam*. Substantia quae directe ponitur in praedicamento completa est.

III. Qualitas est *accidens physicum quod ex suo conceptu specifico potest esse perfectio valde aestimabilis et non communis*. Sic, *scientia* et *virtus* sunt qualitates subjecti sui. Dicimus *potest esse*, quia interdum datur in gradu remisso et tunc parum aestimabilis est, immo aliqua dari possunt in subjecto cui disconvenientia sint (1).

IV. Actio est *actuale exercitium alicujus activitatis* seu *influxus causae efficientis in effectum suum*, v. gr., influxus voluntatis in suas volitiones.

V. Passio est *receptio et sustentatio alicujus accidentis physici*, v. gr., caloris in ferro.

VI. Locus, seu ubi, est *determinata pars spatii quam aliquod corpus occupat* (saltem partialiter), v. gr., haec capsa, haec habitatio.

VII. Quando est *illa epoca seu pars temporis in qua habita est duratio alicujus rei*, v. gr., tale saeculum, talis dies.

VIII. Situs est *dispositio partium corporis in aliquo loco*, v. gr., sedere, stare.

IX. Habitus est *ornatus superpositus corpori*, v. gr., vestis in homine, pictura in pariete.

## ARTICULUS V

### DE DEFINITIONE

**27. Quid sit definitio; prima divisio ipsius.** — I. Definitio, a verbo *definire*, idem valet ac *expressio limitum alicujus* rei; sed hac voce in Philosophia intelligitur *locutio explicans quid sit aliqua res*. Tam res, de qua agitur, quam terminus, quo illa designatur, dicuntur *definitum*. Ita, si quis dicit *homo est animal ratio-*

(1) Moderni nomen dant qualitatis cuilibet proprietati, vel praedicato, non pertinenti ad ordinem quantitativum.

*nale*, definitum est *homo*, et *animal rationale* est ejus definitio.

II. Definitio dividi solet in NOMINALEM et REALEM. Prior *explicat quaenam sit vis significativa alicujus nominis seu vocis*, ut si dicimus *angelus juxta suam etimologiam significat nuntium*. Altera *declarat quid sit secundum se res per nomen significata;* v. gr., *angelus est creatura pure spiritualis*.

**28. Divisio definitionis nominalis.** — Definitio nominalis subdividitur in ETYMOLOGICAM, SECUNDUM USUM et SECUNDUM PLACITUM (loquentis vel scribentis). Prior *explicat sensum vocis, seu nominis, vi suae originis*, ut supra fecimus cum nomine *angelus*. Altera *explicat sensum in quo vox vel nomen de facto accipi solet;* v. gr., *rex vocatur ille qui in statu civili supremum munus gerit vel jure haereditario vel saltem jure vitalitio*. Denique definitio secundum placitum loquentis aut scribentis *illa est qua quis declarat quo sensu accipiat aliquam vocem;* v. gr., si quis dicit: vocabo *futuribilia*, illa quae essent futura in aliis circumstantiis.

Libertas determinandi sensum alicujus vocis est saepe utilis in explicationibus scientificis, sed ea uti oportet prudenter, secus afferret nocumentum claritati et praecisioni, quae in scientiis regnare debent; praeterea opus est non mutare sensum prius determinatum, hoc enim confusionem pareret essetque fons sophismatum.

**29. Divisio definitionis realis.** — Definitio realis dividitur in DESCRIPTIVAM et ESSENTIALEM. Definitio descriptiva *rem declarat per proprietates distinctivas*. Haec fieri potest tripliciter: 1.° PER CAUSAS EXTRINSECAS *(definitio causalis)*, scilicet, per causam efficientem, per causam exemplarem et per causam finalem (aut potius per finem), vel PER MODUM QUO RES GENERATUR AUT FIT *(definitio genetica);* v. gr., *anima humana est forma (physica) a Deo creata, ad divinam similitudinem facta, et ad aeternam beatitudinem destinata, — circulus est figura plana, quae gignitur per rotationem segmenti*

*rectilinei circum aliquod e suis extremis;* 2.°, PER EFFECTUS, ut quum calor ab Aristotele definitur *qualitas congregans homogenea;* 3.°, PER ACCIDENTIA (praesertim, si definitur notio universalis, per ea quae semper habentur in *omnibus* et *solis* individuis, quibus convenit illa notio), vel PER MODUM QUO RES SENSIBUS NOSTRIS MANIFESTATUR; v. gr., si sapphirus definitur *gemma caerulea aureis punctis collucens.*

Definitio essentialis, quae etiam *philosophica* dicitur, est *illa quae explicat quid sit res in sua ipsissima entitate.* Fieri potest duplici modo: 1.°, PER CONSTITUTIVA PHYSICA *(realiter distincta* inter se); v. gr., *homo constat corpore organico et anima rationali;* 2.°, PER CONSTITUTIVA METAPHYSICA (seu praedicata quae rei conveniunt propter totam suam entitatem, ac proinde sola ratione in ipsa distinguuntur; praecipua ex illis sunt genus proximum et ultima differentia); v. gr., *homo est animal rationale.* Porro, illud quod res est ratione suae ipsissimae entitatis, et definitione essentiali exprimitur, vocatur *essentia* rei.

**30. Regulae definitionis.** — I. DEFINITIO DEBET ESSE CLARIOR DEFINITO, scilicet, pro eo qui terminos adhibitos recte intelligere valet; sed si vitari nequit, hi possunt esse difficiles intellectu. Ratio hujus regulae est, quia secus non obtineretur finis definitionis. Esset contra hanc regulam definire rem per metaphoras; v. gr., *somnus est imago mortis.*

II. IN DEFINITIONE NEQUIT INCLUDI IPSUM DEFINITUM, vel illud quod in definito explicationem postulat; quia secus definitio non esset clarior definito. Peccaret contra hanc regulam, qui, definitionem realem volens tradere, diceret: *vivens est quod habet vitam.*

III. DEFINITIO DEBET ESSE BREVIS, seu constare terminis necessariis ad rem bene declarandam et nullo alio. Quia termini redundantes confusionem pariunt, siquidem non intelligitur cur ponantur.

IV. DEFINITIO DEBET CONVENIRE OMNI ET SOLI DEFINITO, seu omnibus et solis individuis quae includuntur

in notione definienda. Quia secus non bene distingueret ab omnibus aliis omnes res quibus convenit notio definienda. Itaque peccaret contra hanc regulam qui triangulum in genere definiret: *spatium tribus rectis limitatum*, quia dantur trianguli (curvilinei) quibus definitio haec non convenit.

V. DEFINITIO CONSTARE DEBET GENERE PROXIMO ET ULTIMA DIFFERENTIA (si est essentialis et metaphysica). Ratio hujus regulae est, quod definitio exhibere debet ideam claram et completam definiti, ac proinde ostendere in quo definitum conveniat cum aliis rebus diversae speciei (genus proximum) et in quo distinguatur ab illis quae ipsi similiora sint (ultima differentia).

**31. Notanda.** — Ex dictis inferuntur sequentia. 1.°, definitiones rerum accuratae sunt valde utiles ac necessariae, et ideo antiqui dicebant definitionem esse *instrumentum sciendi*, atque apud nos in paraemiam evasit: *definite et non disputabitis;* 2.°, termini ex se sufficienter clari non debent definiri, etenim hoc conari non pareret claritatem, sed obscuritatem; 3.°, non omnis conceptus definiri potest definitione stricta, tum quia hoc exigeret processum in infinitum, tum quia conceptus transcendentales non habent differentias proprie tales, siquidem includuntur in illis (v. Ont. n. 176), ideoque genera suprema *substantia* et *accidens* jam non possunt definiri *genere* et *differentia* proprie talibus. Praeterea dantur conceptus, v. gr., *temporis*, qui vix declarari possunt.

Saepe, praesertim initio alicujus quaestionis, nequit dari essentialis definitio rei; tunc ipsa declaratur utcumque aliqua definitione genetica vel descriptiva, et postea, si fieri potest, datur definitio essentialis.

Quum aliqua res definitur antequam de ejus existentia constet, talis definitio vocari solet *nominalis*, sed aliquantulum improprie. Melius diceretur definitio *hypothetica*.

## ARTICULUS VI

### DE DIVISIONE

**32. Divisio; ejus utilitas.** — DIVISIO pro logicis est *recensio partium totius*. Hae partes, quae in divisione recensentur, vocantur *membra divisionis*. Cognitio harum partium utilissima est, ut patet, ad adquirendam profundiorem notionem totius.

**33. Totum ejusque classes; species divisionis.** — I. TOTUM est *quod ex pluribus coalescit;* quae ejus *partes dicuntur*. Totum dividitur in ACTUALE et LOGICUM *seu* POTENTIALE. Totum actuale illud est *quod formaliter includit partes in sua ipsa unitate;* talis est *domus*, cujus unitas coalescit ex parietibus, tectis, etc., ut partibus distinctis. In toto actuali interdum considerari possunt partes PHYSICAE et partes METAPHYSICAE. Hae *tantum logice distinguuntur*, sunt tamen reales; v. gr., in homine *animalitas* et *rationalitas*. Partes physicae *realiter distinguuntur*. Porro partes physicae si totum constituunt mutua compenetratione, ut *corpus et anima hominem*, vocantur ESSENTIALES, praesertim si agitur de toto substantiali; si autem illud extrapositae constituunt, sicut *caput*, *pectus*, *etc.*, *hominem*, vocantur INTEGRALES, praesertim si non sunt absolute necessariae ad existentiam rei (ut manus, sine qua homo dari potest); saepe enim illae partes, quae sunt absolute necessariae ut detur notio per nomen totius significata, vocantur ESSENTIALES, praescindendo a modo illud totum constituendi.

Totum logicum, seu potentiale, est *notio universalis* (v. gr., *homo* in genere) *quae attribui potest diversis*, *subjectis* (vel classibus subjectorum) *logice inferioribus*, quae re vera sunt ejus partes, etsi non includantur in ipsa unitate logica, quae hujus totius propria est.

II. Ex dictis infertur divisionem totius actualis

posse esse PHYSICAM et METAPHYSICAM, et rursus physicam subdividi in ESSENTIALEM et INTEGRALEM, prout fuerint partes in quas fit.

Similiter divisio totius potentialis duplex esse potest: 1.ª, DIVISIO GENERIS in differentias vel species, v. gr., *substantiae* in *materialem* et *immaterialem*, vel in *corpus* et *spiritum;* 2.ª DIVISIO SPECIEI INFIMAE in individua, v. gr., *hominis* in *Petrum*, *Paulum*, *etc.*

III. Hae divisiones communiter fiunt designando totum et partes seu membra divisionis suis propriis nominibus, sed interdum adhibetur divisio ACCIDENTALIS, ut ajunt, in qua vel partes vel totum designantur per aliquid distinctum. Esse potest triplex: 1.ª, DIVISIO SUBJECTI (totius actualis vel potentialis, nomine proprio designati) PER ACCIDENTIA partium, v. gr., si *homo* dividitur in *album*, *nigrum*, *etc.*, vel *jaspis in partem viridem et partem rubram;* 2.ª, DIVISIO ACCIDENTIS (totius potentialis) PER SUBJECTA, v. gr., si *sensatio* dividitur in propriam *hominis* et propriam *bruti;* 3.ª, DIVISIO SUBJECTI CUJUSDAM ACCIDENTIS PER ALIA ACCIDENTIA, v. gr., si *album dividitur in amarum et dulce.*

IV. Saepe etiam dividitur totum potentiale divisione AEQUIVOCA vel ANALOGA, scilicet, in membra quibus non convenit univoce terminus quo totum designatur. Talis esset divisio *hominis* in *viventem* et *pictum.* Nostro judicio oporteret vitare has divisiones magis quam fit, vel saltem monere, nisi res sit nimis clara, definitionem membri praecipui non univoce convenire aliis.

**34. Regulae divisionis.** — I. DIVISIO DEBET ESSE COMPLETA seu recensere omnes partes divisi; quia secus non exhiberet suum objectum ut est. Esset contra hanc regulam dividere *animal* in *hominem* et *leonem.*

II. MEMBRA DIVISIONIS DEBENT SESE EXCLUDERE AD INVICEM, ita ut si divisio fit in partes actuales physicas, hae adaequate distinguantur; si fit in partes actuales metaphysicas (quae necessario convenire debent in notionibus transcendentalibus), nulla ex recensitis includatur formaliter in alia; si fit in partes potentiales, sal-

tem inadaequate distinguantur res, quae in diversis membris directe reponuntur. Ratio est, quia confusionem gignit eamdem rem in diversis membris invenire, si hoc non apparet inevitabile. Contra hanc regulam peccaret, qui terram divideret in Europam, Asiam, Africam, Americam, Oceaniam et Aegyptum; recte tamen ponuntur ut partes metaphysicae hominis *animalitas* et *rationalitas*, quamvis in utroque membro formaliter includatur ratio *entis;* et similiter recte dividitur *substantia* in *completam* et *incompletam*, etsi plures substantiae completae incompletas includant.

III. NULLUM MEMBRUM AEQUARE DEBET DIVISO, secus non excluderet alia membra. Esset contra hanc regulam dividere *animal* in *sensitivum* et *rationale*, siquidem *sensitivum* aeque extenditur ac *animal*.

IV. DIVISIO DEBET ESSE BREVIS, seu paucis membris expediri, in quantum fieri possit; nam divisiones longiores nequeunt memoriter teneri et confusionem generant.

**35. Notandum.** — Prudens divisio materiae faciliorem reddit laborem artes et scientias addiscendi, siquidem juvat memoriam; atque etiam prodest intellectui nostro, qui propter suam limitationem non potest plura simul capere.

## CAPUT II

### DE JUDICIO ET PROPOSITIONE

**36. Divisio capitis.** — Fiet quatuor articulis: in 1.°, agemus de judicio et de propositione in genere; in 2.°, de propositionibus simplicibus et categoricis; in 3.°, de propositionibus complexis; denique in 4.°, de correlatione propositionum.

## ARTICULUS I

### DE JUDICIO ET PROPOSITIONE IN GENERE

**37. Definitio judicii.** — Ut jam diximus in notionibus praeliminaribus ad Dialecticam, judicium est ille actus, quo mens aliquod objectum cognoscit affirmando vel negando aliquid de eo, seu *actus quo mens affirmat convenientiam aut disconvenientiam alicujus praedicati cum aliquo subjecto*, dicens, v. gr., *Deus est justus*, *anima humana non est mortalis*.

Tres operationes mentis judicium supponit: 1.ª est *apprehensio utriusque termini;* 2.ª vero, *comparatio eorundem;* denique 3.ª, *visio seu perceptio convenientiae aut disconvenientiae*, quae non semper obtinetur etiam posita comparatione. Illam perceptionem sequitur *actus affirmandi aut negandi*, in quo JUDICIUM proprie consistit, quodque ita vocatur, quia est veluti sententia mentis circa relationem habitam inter subjectum et praedicatum.

**38. Definitio propositionis.** — Sicut terminus oralis est expressio conceptus, ita PROPOSITIO est *oralis expressio judicii;* v. gr., locutio qua diceretur *anima humana est spiritalis*. Ideo quidquid de propositione dixerimus, applicari poterit judicio.

Tria elementa continet propositio: duos TERMINOS et COPULAM. Termini SUBJECTUM et PRAEDICATUM nominantur, sicut res ab ipsis significatae, scilicet, *illud de quo aliquid affirmatur vel negatur* et *illud quod affirmatur vel negatur*. Copula (verbum *esse* implicitum vel explicitum, cum negatione si habetur) *exprimit relationem identitatis vel discrepantiae inter subjectum et praedicatum*.

Comparatione desumpta ex materia et forma (physicis) rerum corporearum, dicitur subjectum et praedi-

catum ese *materiam propositionis*, copulam vero ejusdem *formam*.

**39. Divisio propositionis.** — Propositio dividitur in SIMPLICEM et COMPLEXAM, prout dividi possit vel non in alias. Ita ex propositionibus: *Socrates est philosophus — Leibnizius est philosophus et mathematicus*, prior est simplex, altera complexa.

Propositio simplex subdividitur in CATEGORICAM *seu* ABSOLUTAM et MODALEM. Est categorica si *affirmat vel negat simpliciter praedicatum de subjecto*, v. gr., *Deus est justus;* est modalis, si *exprimit quomodo praedicatum convenit vel non subjecto*, v. gr., *Deus necessario est justus*, vel *necesse est Deum esse justum*. De hac ultima nihil amplius dicendum videtur.

## ARTICULUS II

### DE PROPOSITIONIBUS SIMPLICIBUS ET CATEGORICIS

**40. Divisiones propositionis categoricae.** — I. RATIONE SUBJECTI VEL EJUS EXTENSIONIS dividitur propositio in UNIVERSALEM, PARTICULAREM et SINGULAREM; v. gr., *omnis homo est rationalis*, — *aliquis homo est sapiens*, — *Petrus currit*. Si subjectum non habet expresse determinatam suam extensionem, propositio vocatur INDEFINITA; v. gr., *homo est rationalis*, — *homo est sapiens*.

II. RATIONE COPULAE SEU FORMAE dividitur in AFFIRMATIVAM et NEGATIVAM. Prior *exprimit convenientiam inter subjectum et praedicatum*, v. gr., *arbor est vivens;* altera *exprimit disconvenientiam inter utrumque*, v. gr., *ferrum non est vivens*.

III. RATIONE PRAEDICATI SEU MATERIAE dividitur in NECESSARIAM, CONTINGENTEM et IMPOSSIBILEM. Prior est *illa cujus praedicatum non potest non convenire subjecto*, v. gr., *anima humana est spiritualis;* altera est *illa cujus praedicatum potest convenire vel non conve-*

*nire subjecto*, v. gr., *Petrus est mathematicus;* denique tertia est *illa cujus praedicatum nunquam potest convenire subjecto*, v. gr., *circulus est quadratus.*

Jam intelligitur quod si agitur de propositione negativa, illa erit necessaria quum praedicatum non possit convenire subjecto, et impossibilis quum necessario illi conveniat.

IV. RATIONE RELATIONIS CUM OBJECTO dividitur in VERAM et FALSAM. Est vera, *propositio conformis suo objecto*, v. gr., *Deus est omnipotens;* et falsa, *propositio non conformis suo objecto*, v. gr., *ferrum est vivens* (1).

V. PROPTER RELATIONEM INTER SUBJECTUM ET PRAEDICATUM dividitur in DIRECTAM et INDIRECTAM. In propositione directa *praedicatum habet majorem extensionem quam subjectum*, *vel exprimit* (in concreto) *aliquam partem physicam vel aliquod accidens ejusdem;* v. gr., *homo est animal*, — vel *est corporeus*, — vel *est albus.* In propositione indirecta termini inverso modo se habent; v. gr., *animal* — vel *ens corporeum* — vel *ens album*, *est homo.*

In rigore haec divisio non est completa, dantur enim propositiones, v. gr., *Petrus est hic homo*, quae nec directae sunt nec indirectae; sed hae propositiones non sunt scientificae et ideo ad illas non attenditur.

Similiter propositiones negativae non solent considerari ut directae vel indirectae.

**41. Notanda.** — 1.° Frequentissime vocantur *analyticae*, *a priori*, *rationales*, *absolutae* vel *metaphysicae* illae propositiones quae necessariae sunt; et *syntheti-*

---

(1) Ad veritatem propositionis affirmativae requiritur et sufficit adaequata identitas realis inter illud quod venit *in recto* (v. n. 13, notam) ex parte subjecti *grammaticalis* et ex parte praedicati. Ita, non potest dici dulcedinem esse albedinem, neque Petrum et Joannem esse unum hominem, sed quidem: *dulcedo est qualitas, — hoc album est dulce, — Petrus et Joannes sunt duo homines.* Hinc sequitur concreta quorum formae logicae distinguuntur a suis subjectis, multiplicari per solam multiplicationem subjectorum. Ita, v. gr., si velum quoddam cooperit duas vel tres personas, concretum *coopertum* habetur bis vel ter.

*cae*, *a posteriori*, *empiricae*, *conditionales* vel *physicae*, illae quae sunt contingentes. Sed animadvertendum est voces *analytica* et *synthetica* non habere apud omnes eumdem sensum; ita juxta Kant, v. gr., dantur propositiones *necessariae*, quae sunt *syntheticae a priori*, et tantum sunt *analyticae* illae quarum praedicatum nihil addit ideae subjecti, quia in illo jam includebatur. Scholastici hodierni dicere solent esse analyticam illam propositionem cujus veritas detegitur sola comparatione terminorum.

2.° Si unice habentur tanquam necessariae illae propositiones quae absolutam habent necessitatem; ad hoc ut divisio II sit completa, opus est computare inter contingentes etiam illas propositiones, quae tantum possunt esse falsae per miraculum Dei, frustrantis exigentias naturales subjecti.

3.° Propositiones generales, seu abstractae, quarum veritas detegitur sola comparatione inter conceptus vulgares subjecti et praedicati, vocantur *immediatae* seu *per se notae*. Aliae sunt *mediatae* seu *notae per ratiocinium*.

**42. De valore subjecti et praedicati.** — Ut facile intelligitur, ad vitandos errores et sophismata, oportet cognoscere valorem subjecti et praedicati propositionum, scilicet, eorum extensionem et comprehensionem. Ad eas determinandas aliquas regulas adjungemus; sed imprimis advertimus subjectum in tota sua comprehensione semper accipi, ejus autem extensionem tantum in propositionibus indefinitis determinari debere.

**43. Regula circa extensionem subjecti.** — IN PROPOSITIONIBUS INDEFINITIS SUBJECTUM HABET EXTENSIONEM UNIVERSALEM, SI PRAEDICATUM EST ESSENTIALE; ET PARTICULAREM, SI PRAEDICATUM EST CONTINGENS. Evidens est prima pars hujus regulae, siquidem praedicatum essentiale subjecto (toti potentiali) necessario convenire debet omnibus individuis sub ipso contentis; ita, haec propositio: *circulus habet omnes radios aequales*, huic

alteri aequivalet: OMNIS *circulus habet suos radios aequales*. Proinde PROPOSITIO INDEFINITA IN MATERIA NECESSARIA AEQUIVALET UNIVERSALI. — Nec minus evidens est altera pars regulae, etenim praedicatum contingens non solet vel saltem potest non convenire omnibus individuis, et ideo PROPOSITIO INDEFINITA IN MATERIA CONTINGENTI AEQUIVALET PARTICULARI; ita, v. gr., propositio *homo est sapiens* idem valet ac ALIQUIS *homo est sapiens*.

Interdum tamen propositio indefinita materiae contingentis gaudet universalitate morali, quamvis proprie particularis sit. Ita, v. gr., haec propositio: *vir gallus comitate praeditus est*. Praeterea, ut jam monuimus, dantur propositiones non absolute necessariae cujus veritas universalis tantum deficit in casu miraculi (v. n. 41, 2.ª).

**44. Regulae circa praedicatum.** — I. IN PROPOSITIONIBUS AFFIRMATIVIS PRAEDICATUM ACCIPITUR IN TOTA SUA COMPREHENSIONE, SED NON IN TOTA SUA EXTENSIONE. Ratio primae partis est, quia hoc exigitur ad veritatem propositionis; etenim si dicitur, v. gr., *homo est animal*, sensus evidenter est hominem habere omnia elementa quae includuntur in conceptu *animal*. Ratio autem secundae, quia juxta sensum communem propositio, v. gr., *triangulus est figura*, aequivalet huic: *triangulus est* ALIQUA *figura*, minime vero huic: *triangulus est* OMNIS *figura*.

II. IN PROPOSITIONIBUS NEGATIVIS PRAEDICATUM ACCIPITUR IN TOTA SUA EXTENSIONE, SED NON IN TOTA SUA COMPREHENSIONE. Ita propositio: *ferrum non est vivens*, aequivalet huic: *ferrum non est* ULLUM *vivens*, quia si esset ALIQUOD *vivens*, non posset dici illud *non esse* vivens. Sed non aequivalet huic: *ferrum non habet* ULLUM *elementum ex illis quae includuntur in conceptu viventis*, siquidem omnes res saltem in eo convenire debent, quod sint *entia*.

## ARTICULUS III

### DE PROPOSITIONIBUS COMPLEXIS

**45. Propositio complexa,** ut jam diximus, est *illa quae vel explicite vel implicite includit duas aut plures.* Solet dividi in CONDITIONALEM, CAUSALEM, DISJUNCTIVAM, CONJUNCTIVAM *seu* CONJUNCTAM et COPULATIVAM. De his breviter loquemur in hoc articulo.

**46. Propositio conditionalis** est *illa in qua affirmatur vel negatur aliquid ex suppositione quod detur vel non detur aliud*, quod indicari solet praemissa particula SI; v. gr., *si homo sentit, vivit — si facis hoc, dabo tibi hanc rem.* Haec propositio, ut apparet, duabus partibus constat, quarum prima vocatur CONDITIO, et in exemplis allatis est *si homo sentit, — si facis hoc;* altera pars CONDITIONATUM dicitur. In conditionali, igitur, non affirmatur existentia conditionis; neque existentia conditionati, nisi pro casu quo detur conditio. Logica fere de illis solis conditionalibus agit, quae sensum generalem habent, et ideo debent esse ILLATIVAE, ut ajunt; quia ut *semper* ac ponatur conditio, etiam detur conditionatum, hoc ab illa *inferri debet.* In his haec illatio, seu nexus, implicite sed absolute affirmatur.

**Regula circa veritatem conditionalis ILLATIVAE.** — AD VERITATEM HARUM PROPOSITIONUM REQUIRITUR UT REAPSE DETUR NEXUS INTER CONDITIONEM ET CONDITIONATUM; etenim, ut diximus, talis nexus absolute affirmatur. Ita, est falsa, sensu illativo, haec propositio: *si Petrus non dormit, studet*, quamvis de facto non dormiat, sed studeat quum hoc dicitur.

**47. Propositio causalis** illa est in qua *exprimitur ratio convenientiae aut disconvenientiae inter subjectum et praedicatum;* v. gr., *brutum non est machina, quia sentit — homo discere potest, quia habet memoriam.*

Saepe causali aequivalet propositio REDUPLICATIVA; dicens, v. gr., *Petrus quatenus sacerdos, est honore dignus.*

**Regula circa ejus veritatem.** — UT PROPOSITIO CAUSALIS VERA SIT, DEBET ESSE VERUM QUOD AFFIRMATUR VEL NEGATUR, ET VERA INSUPER RATIO QUAE ADJUNGITUR, siquidem etiam haec ratio affirmatur. Ideo semper est falsa haec propositio: *pluit, quia nox est.*

**48. Propositio disjunctiva** est illa quae *constat duobus vel pluribus terminis aut propositionibus simplicibus unitis particula* VEL, AUT, *aliave simili;* v. gr., *quae libet substantia est corporea vel incorporea.*

**Regula circa ejus veritatem.** — AD VERITATEM HUJUS PROPOSITIONIS REQUIRITUR UT ALIQUA (indeterminate) EX PROPOSITIONIBUS IN QUAS RESOLVI POTEST, VERA DEBEAT ESSE, SED NON PLURES QUAM UNA; hoc autem exigit UT NULLUM DETUR MEMBRUM PRAETER ENUMERATA, seu ut enumeratio completa sit, et insuper UT SINGULA INCOMPOSSIBILIA SINT CUM QUOLIBET ALIO. Ideo falsae sunt hae propositiones: *Petrus vel ambulat vel sedet* (potest esse in lecto) — *Joannes vel legit vel sedet* (potest legere sedens).

Attamen non semper accipitur disjunctio tam rigorose, sed interdum permittitur veritas in pluribus membris, et interdum falsitas in omnibus; v. gr., *aut Petrus aut Josephus est domi* (saltem unus ex illis, forte ambo), — *vel servitur Deo vel pecuniis* (non simul utrisque, sed forte neutri).

**49. Propositio conjunctiva** *jungit plura subjecta vel praedicata, vel plures propositiones categoricas, sub communi negatione;* v. gr., *non sunt Petrus et Joannes extra domum, — nemo servire potest Deo et pecuniis.*

**Regula circa ejus veritatem.** — AD EJUS VERITATEM REQUIRITUR UT PROPOSITIONES CATEGORICAE IN QUAS RESOLVI POTEST (detracta communi negatione), VEL NON SINT VEL NEQUEANT ESSE SIMUL VERAE, prout negetur vel merum factum, vel ipsa possibilitas, simultaneae veritatis ipsarum. Ita, est semper falsa haec propositio:

*Petrus nequit ambulare et legere;* sed potest esse vera haec: *Petrus non legit ambulans.*

**50. Propositio copulativa** *conjungit plura subjecta vel praedicata vel plures propositiones categoricas, particula* ET *vel alia simili;* v. gr., *homo praeditus est sensibilitate et ratione.*

Copulativae aequivalent propositiones habentes aliquam particulam EXCLUSIVAM vel EXCEPTIVAM. Ita, v. gr., propositio dicens: *tantum Petrus est logicus*, aequivalet huic: *Petrus est logicus, et nullus alius ab eo est logicus;* et similiter propositio dicens: *nullum animal, praeter hominem, est rationale*, huic alteri: *homo est animal rationale, et nullum animal ab homine distinctum est rationale.* — Etiam propositio causalis in copulativam mutari potest, ut facile intelligitur.

**Regula circa ejus veritatem.** — VERITAS HUJUS PROPOSITIONIS EXIGIT UT VERAE SINT OMNES ILLAE IN QUAS RESOLVI POTEST.

## ARTICULUS IV

### DE CORRELATIONE PROPOSITIONUM

**51.** Postquam egerimus de propositionibus seorsim sumptis, nunc exponere oportet praecipuas relationes, quae inter illas dari possunt. Ideo agemus de propositionibus *subalternis*, de *oppositis*, ac de *aequipollentibus*, et demum de *conversione* propositionum.

**52. Propositiones subalternae** sunt *duae propositiones quae tantum differunt in eo quod una universalis sit altera vero particularis.* V. gr., *omnis homo est rationalis*, et *aliquis homo est rationalis; nullus homo est lapis*, et *aliquis homo non est lapis.* Ex his propositionibus, illa quae universalis est dicitur *subalternans*, altera vero *subalternata.*

**Regula circa earum veritatem.** — PROPOSITIONES SUBALTERNAE POSSUNT ESSE VERAE AMBAE, ut accidit in materia necessaria; POSSUNT ESSE FALSAE AMBAE, ut in

materia impossibili; demum POTEST ESSE VERA PROPOSITIO PARTICULARIS, ET FALSA UNIVERSALIS, ut accidere solet in materia contingenti; SED SI UNIVERSALIS EST VERA, PARTICULARIS NEQUIT ESSE FALSA, ut patet.

**Leges in ordine ad ratiocinium.** — I. EX VERITATE UNIVERSALIS INFERTUR VERITAS PARTICULARIS; etenim non potest haec esse falsa, si universalis vera est.

II. EX FALSITATE PARTICULARIS DEDUCITUR FALSITAS UNIVERSALIS; propter similem rationem.

III. EX FALSITATE UNIVERSALIS NEQUIT INFERRI FALSITAS PARTICULARIS, nisi agatur de materia necessaria; nam in materia contingenti particularis adhuc potest esse vera.

IV. EX VERITATE PARTICULARIS NEQUIT DEDUCI VERITAS UNIVERSALIS, nisi agatur de materia necessaria; quia in materia contingenti universalis adhuc potest esse falsa.

**53. Oppositio.** — Oppositio logica duarum propositionum tunc habetur, *quum nequit dari simultanea veritas vel falsitas utriusque*. Haec oppositio fundari debet in principio contradictionis aiente: *impossibile est idem simul esse et non esse*, et ideo ut duae propositiones oppositae sint, altera debet negare vel affirmare aliquid quod ab altera affirmetur vel negetur.

Propositiones oppositae dividuntur in CONTRADICTORIAS, CONTRARIAS et SUBCONTRARIAS, prout oppositio sit major vel minor, ut mox declarabimus.

**54. Propositiones contradictoriae** illae sunt *quarum altera affirmat vel negat illud solum quod sufficit ad falsitatem alterius;* v. gr., si una ait: *omnis homo est sapiens*, altera vero: *aliquis homo non est sapiens*.

**Regula circa earum veritatem.** — PROPOSITIONES CONTRADICTORIAE NEC POSSUNT ESSE SIMUL VERAE NEC SIMUL FALSAE; quia quod una requirit ad suam veritatem, sufficit ad falsitatem alterius. Ideo *semper datur veritas in alterutra e propositionibus contradictoriis, et falsitas in alia*.

**Regula in ordine ad ratiocinium.** — IN PROPOSITIO-

NIBUS CONTRADICTORIIS, EX VERITATE UNIUS DEDUCITUR FALSITAS ALTERIUS, ET VICEVERSA; quia nec possunt esse simul verae, nec simul falsae.

**55. Propositiones contrariae.** — Illae sunt *quarum una affirmat vel negat plus quam requiritur ad falsitatem alterius;* v. gr., si una dicit: *omnis judaeus est avarus*, et altera: *nullus judaeus est avarus*, vel: *hic judaeus non est avarus.*

**Regula circa earum veritatem.**—PROPOSTIONES CONTRARIAE NEQUEUNT ESSE SIMUL VERAE, SED POSSUNT ESSE SIMUL FALSAE. Primum, quia quod necessarium est ad veritatem unius, est plus quam requiritur ad falsitatem alterius; alterum, quia quod stricte requiritur ad falsitatem unius, non sufficit ad veritatem alterius.

**Regula in ordine ad ratiocinium.** — IN PROPOSITIONIBUS CONTRARIIS EX VERITATE UNIUS INFERTUR FALSITAS ALTERIUS, siquidem non possunt esse verae ambae; SED EX FALSITATE UNIUS NEQUIT DEDUCI VERITAS ALTERIUS, quia possunt esse simul falsae.

**56. Propositiones subcontrariae.** — Illae sunt *quarum una affirmat vel negat minus quam requiritur ad falsitatem alterius;* v. gr., si una dicit: *aliqua religio est vera*, et altera: *aliqua religio non est vera.*

**Regula circa earum veritatem.** — PROPOSITIONES SUBCONTRARIAE POSSUNT ESSE SIMUL VERAE, SED NON POSSUNT ESSE SIMUL FALSAE. Primum, quia quod requiritur ad veritatem unius, est minus quam requiritur ad falsitatem alterius; alterum, quia ad falsitatem unius requiritur plus, quam ad veritatem alterius.

**Regula in ordine ad ratiocinium.** — IN PROPOSITIONIBUS SUBCONTRARIIS EX FALSITATE UNIUS DEDUCITUR VERITAS ALTERIUS, quia nequeunt esse falsae ambae; SED EX VERITATE UNIUS NON INFERTUR FALSITAS ALTERIUS, quia possunt esse simul verae.

**57. Tabella propositionum oppositarum.**—Sequens tabella uno conspectu exhibet diversas classes oppositionis, quae in qualibet materia dari possunt inter propositiones subjecti universalis vel particularis.




**58. Aequipollentia.** — In genere loquendo, vocantur aequipollentes illae propositiones, quae eumdem sensum et valorem habent; sed nunc tantum intendimus tradere aliquas regulas, quibus propositiones oppositae redduntur aequipollentes.

**Regulae aequipollentiae.** — I. PROPOSITIONES CONTRADICTORIAE FIUNT AEQUIPOLLENTES, SI SUBJECTO ALTERUTRIUS PRAEPONITUR PARTICULA NON. Sic, propositio: *omnis religio est vera*, pro contradictoria habet: *aliqua religio non est vera;* si praeponitur negatio subjecto prioris, habetur: *non omnis religio est vera*, quae aequipollet secundae. Item contradictoriae sunt: *nullus circulus est quadratus*, — *aliquis circulus est quadratus;* praeposita negatione subjecto secundae, habetur: *non aliquis circulus est quadratus* (non est verum quod aliquis circulus sit quadratus), propositio eumdem sensum habens ac prima.

II. PROPOSITIONES CONTRARIAE AEQUIPOLLENTES FIUNT, SI POSTPONITUR PARTICULA NON SUBJECTO VEL VERBO. Sic, contrariae sunt: *omnis homo est animal*, — *nullus homo est animal;* postposita negatione vel subjecto vel copulae secundae, habetur: *nullus homo non est animal*, vel: *nullus homo est non animal* (nullus est homo qui non sit animal), quae priori aequipollent.

III. PROPOSITIONES SUBALTERNAE AEQUIPOLLENTES REDDUNTUR, SI ANTEPONITUR ET POSTPONITUR PARTICULA

NON SUBJECTO ALTERUTRIUS. Ita, subalternae sunt: *omnis arbor est vivens*, — *aliqua arbor est vivens;* si secundae applicatur regula tradita, habetur: *non aliqua arbor non est vivens* (non est verum quod aliqua arbor non sit vivens), propositio primae aequipollens.

**59. Conversio propositionum.** — Conversio alicujus propositionis *consistit in eo quod termini ejus permutentur, quin desinat esse vera.* Dicitur fieri SIMPLICITER *vel* PER ACCIDENS, prout novum subjectum retineat vel non extensionem antiqui. Plures auctores addunt conversionem PER CONTRAPOSITIONEM, in qua *praeponitur particula* NON *terminis qui permutantur*, ac proinde hi in rigore alii evadunt.

EXEMPLA. Propositio haec: *nulla arbor est homo*, simpliciter convertitur in *nullus homo est arbor.* Propositio *omnis homo est animal* convertitur per accidens in *aliquod animal est homo*, et per contrapositionem, in *omne non animal est non homo* (quidquid non est animal, neque homo est).

**Regulae conversionis.** — Hae regulae fundantur in illis, quas supra tradidimus (nn. 43, 44) circa extensionem subjecti et praedicati propositionum, atque in evidenti principio quod in conversione potest minui non autem augeri extensio terminorum, ne nova propositio plus affirmet, quam anterior permittit. Porro regulae conversionis sunt sequentes.

I. PROPOSITIO UNIVERSALIS NEGATIVA ET PARTICULARIS AFFIRMATIVA SIMPLICITER CONVERTUNTUR. Ita, propositio *nulla arbor est homo*, convertitur in *nullus homo est arbor.* Ratio est, quia in utraque negatur identitas inter quamlibet arborem et quemlibet hominem. Similiter, *aliquis homo est sapiens*, convertitur in *aliquis sapiens est homo*, quia ambae affirmant identitatem inter aliquem hominem et aliquem sapientem.

II. PROPOSITIO UNIVERSALIS AFFIRMATIVA ET UNIVERSALIS NEGATIVA CONVERTUNTUR PER ACCIDENS. Ita, propositio *omne animal est vivens*, convertitur in *aliquod vivens est animal*, quia terminus *vivens* in prima propo-

sitione habet extensionem particularem. Similiter propositio *nulla arbor est homo*, converti potest in *aliquis homo non est arbor;* quia si ex regula praecedente dici potest *nullus homo est arbor*, etiam vere dicitur quod aliquis homo non sit arbor.

III. PROPOSITIO UNIVERSALIS AFFIRMATIVA ET PARTICULARIS NEGATIVA CONVERTUNTUR PER CONTRAPOSITIONEM. Ita, *omne animal est vivens*, convertitur in *omne non vivens est non animal;* et *aliquod metallum non est vivens*, in *aliquod non vivens non est non est metallum* (de aliquo non vivente nequit dici quod non sit metallum). Ratio est, quia juxta primam propositionem sufficit scire de aliquo quod *non est vivens*, ut possit affirmari de ipso quod *non est animal*, vel quod est *non animal;* secunda vero affirmare permittit de aliquo *non vivente* quod *est metallum*, ac proinde quod *non est non metallum* (1).

**60. Notandum.** — Forte utile sit aliquando inter disputandum vel arguendum uti aequipollentia vel conversione, sicut in mathesi saepe oportet aliquam aequationem sub diversa forma proponere; praecipua tamen utilitas aequipollentiae et conversionis habetur in tironibus exercitandis.

# CAPUT III

## DE RATIOCINIO

**61. Objectum et divisio capitis.** — Post tractationem de judicio ejusque proprietatibus, agendum est de ratiocinio. Haec est pars praecipua Dialecticae, quae

(1) Praecedentes regulae his duobus versibus exprimuntur: «Simpliciter *feci* convertitur; *Eva* per accid. — *Asto* per contrap. Sic. fit conversio tota»; in quibus vocales *a, e, i, o*, quae in vocibus *feci, Eva* et *asto* continentur, respective significant propositionem universalem affirmativam, universalem negativam, particularem affirmativam et particularem negativam, juxta haec alia carmina: «Asserit *a*, negat *e;* sed universaliter ambae. Asserit *i*, negat *o;* sed particulariter ambae».

tota ordinatur ad rectitudinem in ratiociniis quaerendam. Ut clare et ordinate in materia tanti momenti procedamus, hoc caput in sex articulos dividemus: in 1.°, de ratiocinio et argumentatione in genere tractabimus; in 2.°, de syllogismo simplici et categorico; in 3.°, de aliis argumentationibus ex syllogismo simplici derivatis; in 4.°, de syllogismis complexis; in 5.°, de argumentationum vitiis prima fronte non apparentibus; in 6.°, de principiis argumentationum probabilium.

## ARTICULUS I

### DE RATIOCINIO ET ARGUMENTATIONE IN GENERE

**62. De ratiocinio, argumentatione et consequentia.** — I. RATIOCINIUM est *operatio, qua intellectus noster ex uno vel pluribus judiciis jam habitis progreditur ad aliud novum*, habens connexionem cum prioribus in ordine al veritatem; v. gr., si ex judicio *nullus homo est lapis*, fit transitus ad judicium *ergo nullus lapis est homo;* vel ex judiciis *Petrus est homo, — omnis homo est rationalis*, ad judicium *ergo Petrus est rationalis*. — Expressio oralis ratiocinii dicitur ARGUMENTATIO.

II. In qualibet argumentatione considerari potest MATERIA et FORMA. Materia argumentationis sunt termini et propositiones; illi sunt materia *remota*, quia prius quam argumentationem ingrediantur, combinari debent; hae sunt materia *proxima*, quia immediate constituunt argumentationem.

Propositio exprimens novum judicium, ad quod fit transitus, vocatur CONCLUSIO vel CONSEQUENS; propositiones vero priores generatim designantur nomine PRAEMISSARUM, sed si una tantum explicite habetur, haec vocari solet ANTECEDENS.

III. Forma argumentationis est CONSEQUENTIA, seu *connexio, quam in ordine ad veritatem conclusio vel consequens habet cum antecedenti vel cum praemissis.*

Haec connexio exprimitur per voces *ergo*, *igitur*, etc.; quod si illa deest, consequentia est *nulla*, et dici solet *mala*. Talis est consequentia in hoc exemplo: *aliquis homo est dives*, *ergo Petrus est dives*, quamvis consequens sit verum.

IV. Consequentia (bona) dividitur in FORMALEM et MATERIALEM. Est formalis, si haberetur in qualibet materia, dummodo dispositio terminorum esset eadem, ut accidit in exemplis antea allatis, etenim universaliter dici potest: *nullum A est B*, *ergo nullum B est A*, — *C est D*, *omnis D est E*, *ergo C est E*. Consequentia est materialis, quum in aliis materiis non haberetur; v. gr., illa quae datur in hoc ratiocinio: *hic homo est rationalis*, *ergo omnis homo est rationalis*, nam si loco dicendi *rationalis*, diceretur *dives*, consequentia esset mala.

Consequentia formalis semper est absolute infrustrabilis seu METAPHYSICA; consequentia vero materialis interdum non est infrustrabilis nisi PHYSICE aut MORALITER, scilicet, si servantur leges naturae, vel humanus modus agendi (v. Crit., n. 27, III); immo vero aliquando potest esse mere PROBABILIS. Ita, est respective physica, moralis et mere probabilis consequentia horum exemplorum: *hoc lignum projectum est in ignem*, *ergo comburetur*, — *haec mulier est mater optimi filii*, *ergo illum diligit*, — *hic agricola tempestive seminavit*, *ergo feliciter metet*.

**63. Regula generalis bonae consequentiae.** — Ut ex dictis facile intelligitur, regula generalis, necessaria et sufficiens pro bona consequentia (metaphysica), est quod NEQUEAT DARI FALSITAS IN CONCLUSIONE, STANTE VERITATE ANTECEDENTIS VEL OMNIUM PRAEMISSARUM.

**64. Aliae regulae.** — Communiter tradi solent plures aliae regulae, quae non sunt nisi facillima corollaria, seu applicationes praecedentis. Praecipuae ex illis sunt sequentes: EX VERO NON POTEST SEQUI NISI VERUM; SED EX FALSO POTEST SEQUI VERUM AUT FALSUM (v. gr., ex falso: *Petrus est avis*, eruitur: *ergo corpus habet* —

vel *ergo caret intellectu)*. — EX NECESSARIO POTEST SEQUI TANTUM NECESSARIUM ; EX CONTINGENTI, VEL CONTINGENS, VEL NECESSARIUM ; EX IMPOSSIBILI, QUODLIBET (v. gr., *leo quidam loquitur, ergo est ens corporeum* — vel *ergo vivit*—vel *ergo est rationalis)*.—EX OPPOSITO CONSEQUENTIS SEQUITUR OPPOSITUM ANTECEDENTIS (vel alicujus praemissae) ; NON TAMEN SEMPER VICE VERSA (v. gr., licet valeat *currit, ergo vivit*, non ideo valet *non currit, ergo non vivit)*. — EX AFFIRMATIONE INFERIORIS (notionis minus universalis) SEQUITUR AFFIRMATIO SUPERIORIS (notionis magis universalis) ; SED NON VICE VERSA (non valet *est animal, ergo est homo)* -- AB ACTU AD POTENTIAM VALET ILLATIO *(currit, ergo potest currere);* NON TAMEN SEMPER E CONVERSO. — ARGUMENTUM NIMIS PROBANS (probans aliquid, de cujus falsitate constat), NIHIL PROBAT.

**65. Species argumentationum ratione materiae.** — De praecipuis speciebus, in quas ratione formae externae argumentatio dividitur, sequentibus capitibus agemus ; nunc autem praecipuas recensemus ex illis, quae ratione materiae discriminantur.

I. Juxta firmitatem praemissarum, argumentatio legitime concludens dividitur in DEMONSTRATIVAM *seu* APODICTICAM, PROBABILEM et FALSAM. Est demonstrativa, *si omnes praemissae sunt certae et evidentes;* est probabilis, *si habet aliquam praemissam probabilem* (prudenter quidem admissibilem, sed non certam) *et nullam falsam;* est falsa, *si habet aliquam praemissam falsam.* Ita, v. gr., haec argumentatio *quaercus est homo, atqui homo est animal rationale, ergo quaercus est animal rationale*, quamvis optime omnino concludat, nihil valet ; quia ejus prima praemissa est falsa. — Sed in memoriam revocandum est quod sive argumentatio sit probabilis, sive sit falsa, propositio quae infertur potest esse certa secundum se, immo etiam necessaria ; v. gr., si dicitur *quaercus est homo, atqui homo est ens corporeum, ergo quaercus est ens corporeum.*

II. Ex modo quo rationes allegatae in praemissis ostendunt conclusionem esse admittendam, dividitur

argumentatio in INDIRECTAM et DIRECTAM. Est indirecta, *si illud ostenditur ex absurditate oppositi*, et ideo hujusmodi argumentatio etiam AD ABSURDUM dicitur; secus argumentatio est directa. Ita, v. gr., indirecte probatur duas perpendiculares eidem rectae (in eodem plano) esse parallelas, *quia nequeunt esse deductae ex uno puncto*.

III. Argumentatio directa potest esse A PRIORI, A POSTERIORI, vel A SIMULTANEO. Videtur vocanda simpliciter A PRIORI, quum ratio in praemissis allegata est aliquid physice praecedens rem in conclusione assertam; ita, v. gr., *a priori* probatur miraculum esse possibile *ex omnipotentia Dei*. Similiter dicenda videtur simpliciter A POSTERIORI, quum ratio in praemissis allegata est aliquid physice subsequens rem in conclusione assertam; ita, v. gr., *a posteriori* probatur divinitas Christi Domini *ex ejus miraculis*. Demum vocanda videtur simpliciter A SIMULTANEO, quum ratio in praemissis allegata est aliquid physice concomitans rem in conclusione assertam; ita, v. gr., *a simultaneo* probatur Titium vendidisse suum agrum, *quia Cajus illum emit*.

IV. Argumentatio a simultaneo (seu a re physice concomitante) adhuc potest esse QUASI A PRIORI, vel QUASI A POSTERIORI, prout ratio in praemissis allegata habeat juxta nostrum modum concipiendi *prioritatem* vel *posterioritatem* respectu rei in conclusione assertae; ita, v. gr., quasi a priori probatur immortalitas animae *ex ejus spiritualitate*.

V. Argumentatio *a priori* vel *quasi a priori*, praesertim si fundatur in ratione magis proxima, quae dari potest, vocatur PROPTER QUID; omnes aliae vocantur QUIA.

VI. Ex una argumentatione *a posteriori*, alia vero *a priori*, saepe conficitur argumentatio REGRESSIVA vel CIRCULARIS, quae omnino legitima esse potest. V. gr., si ex generali ordine mundi probatur sapientia Dei, et ex hac sapientia infertur esse etiam utiles illas res, quarum finem proximum non cognoscimus.

VII. Dicitur argumentatio AD HOMINEM, illa quae fundatur in doctrina adversarii, quam argumentans non admittit; NEGATIVA, illa quae ostendit rationes oppositas nullam vim habere.

**66. De praenotionibus.** — Omnis argumentatio notitiam praeviam, seu PRAENOTIONEM, aliquarum rerum requirit. Et in primis praenotionem exigit subjecti et praedicati conclusionis inferendae; atque etiam si argumentatio scientifica est, praenotionem principii, quo niti debet.

**67. De principiis argumentationum scientificarum.** — I. PRINCIPIA harum argumentationum sunt *propositiones universales*, quibus ipsae innituntur; nam ex solis factis particularibus nullum argumentum in scientiis conficitur.

II. PROXIME VEL REMOTE OMNIS ARGUMENTATIO SCIENTIFICA ALIQUO PRIMO PRINCIPIO INNITI DEBET. Etenim, si principium proximum illius non est *primum*, seu tale ut sola comparatione suorum terminorum assensum mereri videatur, ejus veritas deduci debet ex alio, de quo idem diceremus, et ita porro; jam vero evidens est non posse sic procedi in infinitum.

## ARTICULUS II

### DE SYLLOGISMO SIMPLICI ET CATEGORICO

**68. Definitio syllogismi.** — SYLLOGISMUS est vox graeca, qua significatur *argumentatio constans duabus praemissis et conclusione*. V. gr., *omnis homo est animal, omne animal est vivens, ergo omnis homo est vivens; — si Christus est Deus, religio catholica est vera; atqui Christus est Deus; ergo religio catholica est vera.*

**69. De syllogismo simplici et categorico.** — I. Ut apparet in exemplo supra posito, syllogismus constans praemissis *simplicibus et categoricis* tres habet terminos, qui in illo exemplo sunt *homo*, *animal* et *vivens*. Porro in praemissis unus ex his terminis (in allato

exemplo *animal)* confertur cum aliis duobus *(homo* et *vivens)*, qui soli in conclusione inveniuntur.

II. Illi duo termini, qui cum tertio comparantur, dicuntur EXTREMI, hic autem MEDIUS. Ex terminis extremis dicitur MAJOR, ille qui in conclusione munus gerit praedicati (quod ex se majorem extensionem habere potest, quam subjectum), alter vero, munus subjecti in conclusione gerens, dicitur MINOR (1). Ita, in syllogismo antea allato, terminus medius est *animal*, quia cum ipso conferuntur extremi *homo* et *vivens*. Ex his, *vivens* est terminus major, *homo* autem minor, quia ille praedicatur de hoc in conclusione.

III. Praemissa continens terminum majorem vocatur MAJOR; talis est in eodem exemplo secunda premissa: *omne animal est vivens*. Similiter vocatur MINOR illa praemissa quae terminum minorem continet; talis est in ipso exemplo *omnis homo est animal*. In praxi tamen illa praemissa, quae prius profertur, vocatur *major*, et altera *minor*.

**70. Principia quibus nititur syllogismus simplex et categoricus.** — Hujusmodi syllogismus his principiis nititur, quorum explicationem subjungimus.

I. PRINCIPIA «DICTUM DE OMNI», «DICTUM DE NULLO». — QUOD UNIVERSALITER AFFIRMATUR DE ALIQUO TOTO POTENTIALI, AFFIRMARI DEBET DE OMNIBUS INDIVIDUIS SUB EO CONTENTIS; ET QUOD UNIVERSALITER NEGATUR DE ALIQUO TOTO POTENTIALI, NEGARI DEBET DE OMNIBUS EJUS INDIVIDUIS. Sic, ut clarissime apparet, si aliquis affirmat in majore *omne ens spirituale est immortale*, concedere debet quod *anima humana est immortalis*, si admittit in minore quod *anima humana est spiritualis*. Similiter poneretur exemplum in syllogismo negativo (2).

---

(1) Alii auctores illum extremum vocant *majorem*, qui pluries praedicatur in syllogismo, et si ambo tantum semel praedicantur, ille qui in aliqua praemissa praedicatum est.

(2) Aliqui auctores irrident argumentationem syllogisticam his principiis innixam. Ita Stuart Mill ait: quum ego affirmo, v. gr., *omnis homo est mortalis*, vel scio Socratem esse mortalem, vel non; si primum, quum addo: *atqui Socrates est homo, ergo Socrates est mortalis*, haec conclusio

Porro, quum haec principia directe applicantur, prima propositio syllogismi pro subjecto habet terminum medium universaliter sumptum, et pro praedicato extremum majus.

II. PRINCIPIA IDENTITATIS ET DISCREPANTIAE. — Primum ait: DUAE RES, QUAE ADAEQUATE CUM ALIA TERTIA IDENTIFICANTUR, ETIAM IDENTIFICANTUR INTER SE. Alterum dicit: DUAE RES, QUARUM ALTERA IDENTIFICATUR ADAEQUATE CUM TERTIA, ALTERA VERO AB HAC DISTINGUITUR, NON IDENTIFICANTUR INTER SE.

Tantum haec principia quibus praecedentia innituntur, applicari possunt, quum syllogismus terminum medium singularem habet (v. n. 75).

**71. Regula generalis syllogismi ordinarii.** — Quum in syllogismo ordinario, seu terminum medium universalem habente, aterutrum ex principiis DICTUM DE OMNI, vel DICTUM DE NULLO, applicari debeat; evidenter haec regula generalis pro ipso statui potest: UNA EX PRAEMISSIS CONCLUSIONEM CONTINERE DEBET, ALTERA VERO HANC CONTINENTIAM OSTENDERE.

**72. Regulae particulares.** — I. SYLLOGIMUS TANTUM DEBET HABERE TRES TERMINOS; etenim nulla conclusio erui potest ex duabus praemissis, quae non conferant aliquem terminum utrique communem cum aliis duobus distinctis, ut ita apparere possit an isti conveniant, vel non, inter se. Ex praemissis, v. gr.: *homo est animal*, — *ferrum est substantia*, nihil deduci potest. Quod si quartus terminus in conclusione poneretur, ejus veritas nullam connexionem haberet cum veritate praemissarum.

---

nihil novum detegit; si secundum, non habeo jus dicendi *omnis homo est mortalis.*

Sed hi auctores non advertunt: 1.°, quod ad explicandam naturam syllogismi oportet adhibere exempla in materia facili, quamvis eorum conclusiones sint veritates jam cognitae; 2.° saepe posse constare veritatem alicujus propositionis universalis, quin cognoscantur omnes casus particulares; 3.°, saepe non facile videri utrum casus particularis de quo agitur comprehendatur, vel non, in determinata propositione universali. Lector pluries videbit in hoc ipso opere quo modo ope unius vel plurium syllogismorum convincitur de veritatibus antea ignotis.

II. TERMINI NEQUEUNT HABERE IN CONCLUSIONE EXTENSIONEM MAJOREM QUAM IN PRAEMISSIS ; quia secus conclusio diceret plus, quam praemissae permittunt. Ideo male concludit hic syllogismus : *animal est substantia, atqui petra non est animal, ergo petra non est substantia;* quia in majori tantum affirmatur identitas animalium cum *aliquibus* substantiis, ac proinde perperam negatur in conclusione identitas petrae cum *omni* substantia.

III. SALTEM IN ALTERUTRA EX PRAEMISSIS TERMINUS MEDIUS UNIVERSALITER ACCIPI DEBET ; aliter enim accidere posset, ut ille terminus in singulis praemissis intelligi deberet de aliis individuis vel speciebus, et tunc idem esset ac si haberentur quatuor termini in syllogismo. Ita, in exemplo : *homo est animal, brutum est animal, ergo brutum est homo*, terminus medius *animal* in majore et in minore intelligi debet de *aliis* et *aliis* animalibus.

IV. TERMINUS MEDIUS (saltem sub ea ratione qua medius est) CONCLUSIONEM INGREDI NEQUIT. Quia terminus medius tantum adhibetur ad detegendam convenientiam vel disconvenientiam extremorum, de quibus solis judicium ferri debet in conclusione. Non est contra hanc regulam dicere, v. gr. : *omnis homo est homo risibilis, Petrus est homo, ergo est homo risibilis*, quia *homo* tantum ingreditur conclusionem sub ratione *hominis risibilis*, sub qua est terminus major.

V. EX DUABUS PRAEMISSIS AFFIRMANTIBUS ERUI NEQUIT CONCLUSIO NEGATIVA ; quia ex convenientia duorum cum tertio, nonnisi convenientia illorum inter se deduci potest.

VI. EX DUABUS PRAEMISSIS NEGATIVIS NULLA CONCLUSIO INFERRI POTEST ; quia extrema non convenientia cum eodem medio, possunt convenire, vel non convenire, inter se. Sic ex eo quod *nullum animal sit lapis*, et *nullus homo sit lapis*, non sequitur quod *nullus homo sit animal* (1).

(1) Hic syllogismus : *Quod non est homo non est animal rationale;*

VII. CONCLUSIO SEMPER SEQUITUR PARTEM DEBILIOREM, id est, si habetur una praemissa negans, etiam conclusio debet esse negativa, si autem una praemissa est particularis, etiam conclusio. — Prior pars regulae evidens est, siquidem sequitur ex principio discrepantiae. Etiam evidens est altera pars, quia in illo casu vel utraque praemissa est affirmativa, vel alterutra negativa; si primum, terminus medius debet esse subjectum praemissae universalis, quia tantum ibi universaliter sumi potest, ut jubet regula III; tunc autem conclusio debet esse particularis, ne subjectum ejus majorem extensionem in ipsa quam in praemissis habeat, contra regulam II. In altero casu, terminus medius (ut saltem semel universaliter sumatur) debet esse vel subjectum praemissae universalis vel praedicatum negativae, et consequenter ex terminis extremis unus tantum sumi potest universaliter in praemissis; ac proinde conclusio, quae juxta primam partem hujus regulae erit negans, debet esse particularis, ne uterque terminus extremus in ipsa sumatur universaliter, contra regulam II.

VIII. EX DUABUS PROPOSITIONIBUS PARTICULARIBUS NIHIL INFERRI POTEST. Si ambae praemissae particulares sunt: vel ambae sunt etiam affirmativae, vel ambae negativae, vel una est affirmativa et altera negativa. In primo casu, terminus medius non posset sumi universaliter, et ideo syllogismus peccaret contra regulam III; in altero casu syllogismus esset contra regulam VI; in tertio autem, terminus medius deberet esse praedicatum praemissae negativae, ne violaretur regula III; sed tunc, si conclussio esset affirmativa, laederetur regula VII, si vero esset negativa, regula II (1).

---

*atqui lapis non est homo; ergo lapis non est animal rationale*, ideo concludit, quia negatio minoris respondet negationi quae in majori afficit subjectum (secus termini essent quatuor), et consequenter minor idem valet ac: *atqui lapis est aliquid quod non est homo.*

(1) Ut praecedentes regulae facilius memoria teneantur, his versibus exprimi possunt: «Terminus esto triplex, medius, majorque, minorque. — Latius hos quam praemissae conclusio non vult. — Aut semel aut ite-

**73. De figuris et modis syllogismi ordinarii.**—I. Syllogismus exhibere potest quatuor FIGURAS, seu *diversas collocationes termini medii*. In prima figura hic terminus est subjectum praemissae majoris et praedicatum minoris; in secunda, praedicatum utriusque; in tertia, subjectum utriusque; denique in quarta, praedicatum majoris et subjectum minoris. Aliqui auctores tantum tres figuras admittunt, quia juxta suum modum loquendi (v. n. 69, nota) terminus medius nequit esse *semel* subjectum, nisi in praemissa *vere* majore.

II. Omnes hae figurae admittunt diversos MODOS, seu *combinationes quantitatis* (n. 40, I) *et qualitatis* (ibid., II) *praemissarum*. Sed quamvis unaquaeque praemissa, exclusis terminis singularibus, locum praebet quatuor combinationibus quantitatis et qualitatis (potest enim esse vel particularis vel universalis, et in utroque casu vel affirmativa vel negativa), et ambae simul decem et sex combinationibus in unaquaque figura (totaliter sexaginta et quatuor), tantum regulas syllogismi servant quatuor modi primae figurae, quatuor secundae, sex tertiae, et quinque quartae (omnes simul decem et novem).

Ut facilius memoria teneantur modi legitimi, solent logici illos designare quibusdam nominibus, per quorum vocales indicatur respectiva quantitas et qualitas propositionum, hoc pacto: A significat propositionem universalem affirmativam, E universalem negativam, I particularem affirmativam, O particularem negativam. Haec nomina, quae supponunt *veram* majorem primum locum tenere, sunt: pro prima figura, BARBARA, CELARENT, DARII, FERIO; pro secunda, CESARE, CAMESTRES, FESTINO, BAROCO; pro tertia, DARAPTI, FELAPTON, DISAMIS, DATISI, BOCARDO, FERISON; et pro quarta, BAMALIPTON, CALEMES, DIMARIS, FESAPO, FRESISOFORUM (in

---

rum medius generaliter esto. — Nequaquam medium capiat conclusio oportet. — Ambae affirmantes nequeunt generare negantem. — Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur. — Pejorem semper sequitur conclusio partem. — Nihil sequitur geminis ex particularibus unquam».

hoc nomine duae ultimae vocales sunt redundantes, sicut ultima in nomine Bamalipton). Quinque postremi modi ab auctoribus tres tantum figuras admittentibus vocantur BARALIPTON, CELANTES, DABITIS, FAPESMO, FRISESOMORUM, et habentur ut modi indirecti primae figurae.

Quum in modis primae figurae (seu in illis qui directi sunt, si in ipsa agnoscuntur modi indirecti) facilius detegitur legitimitas illationis; aliquando oportet alios modos in aliquem ex illis mutare. Porro unusquisque reduci potest ad modum illum qui eamdem litteram initialem habet, v. gr., Cesare ad Celarent; sed ad hoc converti debent vel simpliciter vel per accidens respective (n. 59) illae propositiones quae designantur vocali habente post se litteram S vel P; quod si in nomine modi, de quo agitur, habetur littera M, praemissae debent insuper permutari. Modi qui habent C non initialem (Baroco et Bocardo) reduci nequeunt.

III. Ad cognoscendum utrum aliquis syllogismus legitimus sit, sufficit inspicere: 1.°, ad quam figuram pertinet; 2.°, si est in aliquo modo legitimo illius figurae. Etiam inspici potest an servet regulas speciales figurae in qua sit. Hae regulae speciales sunt sequentes.

**Pro 1.ª figura.** — MINOR DEBET ESSE AFFIRMATIVA ET MAJOR UNIVERSALIS. Etenim, si designantur litteris M, S, et P terminus medius, terminus minor (subjectum conclusionis) et terminus major (praedicatum conclusionis), propositiones hujus figurae, praescindendo a quantitate et qualitate, repraesentari possunt per MP, SM, SP. Jamvero, si SM esset negativa, etiam talis deberet esse (juxta regulam VII) SP, atque etiam (juxta II) MP; hoc autem esset contra regulam VI. Si porro SM affirmativa est, MP debet esse universalis, juxta regulam III.

**Pro 2.ª figura.** — ALTERUTRA PRAEMISSA NEGATIVA ESSE DEBET, ET MAJOR UNIVERSALIS. Quia si in syllogismo PM, SM, SP, ambae praemissae essent affirmativae, violaretur regula III. Jamvero, si alterutra prae-

missa est negans, etiam SP debet esse negativa, juxta regulam VII; hoc autem exigit, ex regula II, quod MP sit universalis.

**Pro 3.ª figura.** — MINOR DEBET ESSE AFFIRMANS ET CONCLUSIO PARTICULARIS. Nam si in syllogismo MP, MS, SP, negativa esset MS, negare deberet SP, et consequenter etiam MP. Si porro MS est affirmativa, evidens est quod SP debet esse particularis.

**Pro 4.ª figura.** — SI MAJOR EST AFFIRMATIVA, MINOR DEBET ESSE UNIVERSALIS. Quia si in PM, MS, SP, est affirmativa PM; debet accipi M universaliter in minore MS.

SI MINOR EST AFFIRMANS, CONCLUSIO DEBET ESSE PARTICULARIS. Secus S haberet majorem extensionem in SP, quam in MS.

SI ALTERUTRA PRAEMISSA EST NEGATIVA, MAJOR DEBET ESSE UNIVERSALIS. Secus in conclusione SP, quae etiam negativa erit, P haberet majorem extensionem quam in PM.

**74. Nota.** — Si terminus major aut minor est singularis, possunt efformari syllogismi legitimi non comprehensi in praecedentibus modis; v. gr., *aliquis homo est Petrus*, *nulla petra est homo*, *ergo nulla petra est Petrus*, in quo syllogismo propositiones respondent vocalibus I, E, E.

**75. De syllogismo expositorio.** — Ita ille vocatur, *cujus terminus medius est singularis*. Hic syllogismus minime pugnat cum regula III, quia terminus medius in tota extensione sumitur, quam habere potest, quod quidem ad sensum regulae sufficit. Ita, legitimus est hic syllogismus: *Cicero Romam liberavit a conspiratione Catilinae*, *atqui Cicero erat magnus orator*, *ergo magnus orator Romam liberavit a conspiratione Catilinae*. Atque etiam hic: *Gutenberg artem typographicam invenit; atqui Gutenberg non est inter vivos; ergo qui artem typhographicam invenit non est inter vivos*.

## ARTICULUS III

### DE ALIIS ARGUMENTATIONIBUS EX SYLLOGISMO SIMPLICI DERIVATIS

**76. Enthymema** (ex graeco *enthymeomai*, adverto) est *syllogismus in quo omittitur aliqua ex praemissis*, quia facile intelligitur. V. gr., *Ecclesia catholica est infallibilis, ergo admitti debet ut verum quidquid ipsa docet.*

**77. Epicherema** (ex graeco *epicheireo*, rationem do) est *syllogismus in quo saltem una praemissa est propositio causalis.* V. gr., *ens spirituale perire nequit, quia nullum habet principium corruptionis; atqui anima humana est spiritualis, siquidem habet operationes independentes a materia; ergo anima humana perire nequit.*

**78. Polysillogismus** est *argumentatio constans duobus vel pluribus syllogismis, ita conjunctis ut conclusio unius sit praemissa alterius.* V. gr., *religio a Christo fundata est vera, atqui religio catholica est fundata a Christo, ergo religio catholica est vera; atqui religio vera ab omnibus admittenda est, ergo religio catholica ab omnibus amplectenda est.*

**79. Syllogismus copulativus** ille est *cujus alterutra vel utraque praemissa est copulativa.* V. gr., *homo et equus sunt animalia; atqui animal est substantia et sentit; ergo homo et equus sunt substantiae et sentiunt.*

Nihil notandum venit circa has argumentationes, quibus facillime applicantur regulae syllogismi simplicis.

**80. Sorites** (ex graeco *sorós*, acervus) est *argumentatio constans pluribus praemissis, ita dispositis ut praedicatum primae sit subjectum secundae, et ita porro, usque ad conclusionem, quae habet subjectum primae et praedicatum ultimae.* V. gr., *homo est animal, ani-*

*mal est vivens, vivens est substantia, ergo homo est substantia.* Aequivalet seriei tot syllogismorum, quot sunt propositiones duobus sublatis (vel quot sunt praemissae una sublata); quia totidem sunt termini medii, siquidem unaquaeque propositio novum medium affert praeter duas postremas (ultimam praemissam et conclusionem).

**Regulae soritis.** — I. IN SORITE TANTUM UNA PRAEMISSA POTEST ESSE NEGATIVA (Reg. VII et VI syll.); IN HOC CASU CONCLUSIO ETIAM DEBET ESSE NEGATIVA (Reg. VII); ET SEQUI STATIM POST PRAEMISSAM NEGATIVAM, secus praedicatum ejus acciperetur ex praemissa affirmativa, et tunc laederetur regula II.

II. NULLA PROPOSITIO PRAETER DUAS EXTREMAS, POTEST ESSE PARTICULARIS, secus enim syllogismus efformatus ex ipsa et praecedente violaret regulam III; QUOD SI PRIMA PARTICULARIS EST, ETIAM CONCLUSIO (reg. VII).

**81. Dilemma** (ex graeco *dis*, duo, et *lemma*, propositio) est *argumentatio incipiens a propositione disjunctiva, cujus utrumque membrum sumitur ad efformandum syllogismum vel enthymema ducens ad eamdem conclusionem.* Sit in exemplum illa notissima argumentatio Sancti Augustini: *vel religio christiana propagata est miraculis vel sine illis: si primum, ergo vera est; si secundum, hoc esset majus miraculum, et ideo etiam vera est.*

**Regulae dilemmatis.** — I. INTER DUO MEMBRA DISJUNCTIONIS NON DEBET DARI MEDIUM; secus tota argumentatio evaderet inutilis. Peccat contra hanc regulam sequens dilemma: *vel animae defunctorum sunt in caelo, vel in inferno; si primum, non indigent orationibus; si alterum, hae nequeunt ipsis prodesse; ergo inutiles sunt orationes pro defunctis.*

II. CONCLUSIO DEBET RECTE DEDUCI EX UTROQUE MEMBRO, secus negari posset. Laedit hanc regulam dilemma a Socrate prolatum antequam sibi ope veneni mortem daret: *vel anima moritur cum corpore, vel huic*

*supervivit: si primum, tranquillus requiescam; si alterum, in vitam feliciorem transibo; ergo oportet ut moriar.*

III. OPUS EST UT DILEMMA RETORQUERI NEQUEAT. Dicitur aliquod argumentum retorqueri, quum ex ipso principio, quo quis nititur, alius conclusionem contrariam eruit. Retorsio frequentior est in dilemmate, quam in aliis argumentationibus. Ita, Protagoras, qui pactum fecerat cum quodam discipulo, ut hic stipendia solveret quum in aliqua lite juridica vicisset, videns discipulum nullam causam suscipere velle, eum ad tribunalia duxit exclamans: *si in hac lite vincis, solvere teneberis ex pacto; si victus evadis, ex sententia judicis.* Ast discipulus replicavit: *si vinco, non solvam ex sententia judicis; si victus evado, ex pacto.*

**82. Inductio; ejus species.** — I. INDUCTIO est *argumentatio in qua proceditur ex partibus potentialibus ad totum, seu ex singularibus ad universale.* Ita, si quis videns corpora A, B, C, etc., poris praedita esse, infert omne corpus esse praeditum poris, inductionem facit. Hinc apparet hanc differre a syllogismo ordinario eo quod procedat sensu inverso; et propterea syllogismus ordinarius, in oppositione ad inductionem, argumentatio *deductiva* dicitur. Inductio dividitur in COMPLETAM *seu aristotelicam* et INCOMPLETAM *seu baconianam* (ex Bacone de Verulamio, m. 1626).

II. INDUCTIO COMPLETA *universaliter affirmat de toto potentiali illud, quod singillatim visum est convenire unicuique ex particularibus sub ipso contentis.* Haec inductio non applicatur solis individuis, sed etiam speciebus vel generibus inferioribus, ut ascensus fiat ad totum universalius; et adhiberi solet ad definitiones conficiendas et probandas. Aristoteles hoc exemplum proponit: *homo, equus et asinus longo tempore vivunt; atqui homo, equus et asinus sunt omnia animalia sine felle; ergo omne animal sine felle vivit multo tempore.* Inductio completa absque dubio est legitima, sed a modernis facile contemnitur eo quod vix inserviat pro

scientiis quae observationi incumbunt, non enim omnes casus particulares observari possunt.

III. INDUCTIO INCOMPLETA, quae etiam scientifica vocatur, *infert aliquam legem naturalem ex observationibus relative paucis*. Leges, quae ita inferuntur, affirmant dari inter duas res, vel duo phaenomena, naturalem connexionem causae et effectus, vel coëxistentiae necessariae. Hae affirmationes evidenter essent illegitimae, si *solum* niterentur paucis casibus particularibus; sed legitimae sunt, *si rationi certo constat* successionem vel coëxistentiam observatam non evenisse *per accidens*, seu fortuito; tunc enim praecipue nituntur principio *legum*, ut aiunt, quod his formulis exprimi solet: *Natura regitur legibus. — Causae uniformiter operantur.—Causae aequales producunt effectus aequales. — Omnis relatio causalitatis constans est.*

IV. Ex dictis facile intelligitur inductionem nunquam adhiberi, quin etiam, saltem implicite, usurpetur *deductio*, qua generale aliquod principium ad casum praesentem applicetur.

**83. Regulae inductionis incompletae.** — I. CERTO CONSTARE DEBET SUCCESSIONEM VEL COEXISTENTIAM OBSERVATAM ORIRI EX NATURA REI; ut patet. Quomodo ad hoc procedi debeat in observationibus scientificis, dicemus capite sequenti, articulo II.

II. IN ENUNTIANDA RELATIONE CAUSALITATIS ATTENDI DEBET AD OMNES CONCAUSAS ET PRAEREQUISITA; ne lex applicari videatur casibus dissimilibus, ad quos jure extendi nequit. Saepe tamen in praxi leges enuntiantur formulis incompletis, quae ut tales admittuntur.

III. ALIQUANDO IN FORMULIS COMPLETIS LEGUM, EXPRIMI DEBENT VALORES NUMERICI; sic, in rigore dici nequit simpliciter arsenicum producere mortem hominis.

## ARTICULUS IV

### DE SYLLOGISMIS COMPLEXIS

**84.** Hucusque egimus de syllogismo simplici et de aliis argumentationibus, quibus ille locum praebet; nunc vero agendum est de syllogismo *habente unam praemissam conditionalem*, *disjunctivam* vel *conjunctivam;* etenim pro his speciebus argumentationis dantur regulae particulares.

**85. Syllogismus conditionalis** est ille *cujus praemissa major hypothesim aliquam vel conditionem exprimit.* V. gr., *si Christus est Deus, religio catholica est vera; atqui Christus est Deus; ergo religio catholica est vera.* Hic syllogismus duobus modis legitimis proponi potest, et aliis duobus illegitimis; ut videbimus statim.

**Regulae syllogismi conditionalis.** — I. AFFIRMATA CONDITIONE IN MINORE, AFFIRMARI DEBET CONDITIONATUM IN CONCLUSIONE; ET NEGATO CONDITIONATO IN MINORE, NEGARI DEBET CONDITIO IN CONCLUSIONE. Haec regula nititur in ipsa natura propositionis conditionalis, cujus veritas exigit ut detur conditionatum, si datur conditio. Hinc patet legitimum esse syllogismum praecedentem, atque etiam sequentem: *si Ecclesia errat, Deus decipit nos; atqui Deus non decipit nos; ergo Ecclesia non errat.*

II. NEGATA CONDITIONE IN MINORE, NON SEQUITUR NEGATIO CONDITIONATI IN CONCLUSIONE; NEC AFFIRMATO CONDITIONATO ERUITUR AFFIRMATIO CONDITIONIS. Quia propositio conditionalis nihil dicit de existentia conditionati pro casu quo non detur conditio, ac proinde permittit illud dari sine hac. Itaque, illegitimi sunt hi syllogismi: *si existit Petrus, existit Deus; atqui Petrus*

*non existit; ergo non existit Deus*, — vel *atqui existit Deus; ergo existit Petrus* (1).

**86. Syllogismus disjunctivus** ille est *qui praemissam majorem habet disjunctivam*. V. gr., *angelus vel est corporeus, vel spiritus purus; atqui non est corporeus; ergo est spiritus purus*. Vis logica hujus argumentationis in ipsa natura nititur propositionis disjunctivae, quae in his syllogismis accipi solet rigorose, seu ita ut exigat veritatem alicujus membri, sed unius tantum.

**Regulae syllogismi disjunctivi.** — I. AFFIRMATO ALIQUO MEMBRO IN MINORE, NEGARI DEBENT OMNIA ALIA IN CONCLUSIONE; quia unum tantum potest esse verum. V. gr., *ens vel est substantia, vel accidens; atqui hoc ens est substantia; ergo non est accidens*.

II. NEGATIS IN MINORE OMNIBUS MEMBRIS PRAETER UNUM, HOC AFFIRMARI DEBET IN CONCLUSIONE; quia aliquod ex illis verum esse debet. V. gr., *praedicabile vel est species, vel genus, vel differentia specifica, vel proprium, vel accidens; atqui hoc praedicabile nec est species, nec genus, nec differentia specifica, nec proprium; ergo est accidens*. Haec argumentatio vocatur *exclusionis* seu *ab exclusione* (2).

**87. Syllogismus conjunctivus** *majorem habet, quae est propositio conjunctiva*. V. gr., *nequit dari conventio inter Christum et Belial; Ecclesia cum Christo convenit;*

---

(1) Nihil licet inferre ex syllogismo conditionali, in quo veritas minoris exigit falsitatem majoris; etenim nulla datur consequentia nisi ex praemissis *simul* veris. Sic perperam dicitur: *si duo corpora existunt, non sunt compenetrata; atqui sunt compenetrata; ergo non existunt.*

(2) Quum disjunctio accipitur quasi dicens: *ad summum unum ex his*, tantum prima regula applicari potest; sola vero secunda, si sensus est: *saltem unum ex his.*

Neque ex hoc syllogismo quidquam inferri potest, si major et minor nequeunt esse *simul* verae; v. gr., si dicitur: *vel Petrus est mortuus, vel Deus, deficit; atqui Petrus non est mortuus; ergo Deus deficit.*

Demum advertere oportet ad vitandas fallacias, membrum negativum negari sublata ejus negatione, et affirmari ea relicta. Ita in disjunctiva: *aut pluit, aut non pluit*, affirmato primo membro, *pluit*, negatur secundum dicendo iterum *pluit* (non non pluit, — non est verum quod non pluat).

*ergo convenire nequit cum Belial.* Hi syllogismi tantum efformantur cum conjunctivis habentibus membra incompossibilia, vel de quibus constet ratione aliquo modo *a priori* non dari simul; secus enim syllogismus esset ridiculus. Sic, ut quis, nullam habens rationem aliquo modo *a priori*, admittat hanc propositionem: *Petrus et Joannes non sunt nunc extra domum*, debet scire de alterutro, v. gr., de *Petro*, quod *de facto* sit domi; sed tunc, ad quid addere: *atqui Joannes est extra domum; ergo Petrus est domi?* Quod si additur: *atqui Petrus est domi*, nihil inferri potest.

**Regulae syllogismi conjunctivi.** — AFFIRMATO ALIQUO MEMBRO IN MINORE, NEGARI DEBET ALTERUM, VEL ALIQUOD EX ALIIS, IN CONCLUSIONE; SED NEGATIS IN MINORE OMNIBUS PRAETER UNUM, NON SEQUITUR ILLUD AFFIRMANDUM ESSE IN CONCLUSIONE. Ratio primi est, quia nequeunt omnia membra esse vera; secundi vero, quia propositio conjunctiva permittit omnia membra esse falsa. Ita, recte dicitur: *nemo servire potest Deo et pecuniis; atqui Petrus servit Deo, ergo non servit pecuniis*, minime vero: *non servit pecuniis, ergo servit Deo.*

## ARTICULUS V

### DE ARGUMENTATIONUM VITIIS PRIMA FRONTE NON APPARENTIBUS

**88. Fallacia, sophisma** et **paralogismus** frequenter eodem sensu accipiuntur, et definiri possunt *argumentatio falsa, seu vitiosa;* sed proprie loquendo, fallacia et sophisma intentionem supponunt decipiendi alios, paralogismus vero non ita.

Porro argumentatio potest esse vitiosa, vel quia aliqua ex ejus praemissis falsa sit aut dubia, vel quia ex ipsis, quantumvis veris, conclusio asserta non sequatur. Vitium consistens in eo quod aliquid falsum aut dubium asseratur vel supponatur, detegi debet a viris, qui in ea materia de qua agatur, sint periti; ita, v. gr.,

sophismata, quae nomine scientiarum naturalium contra Fidem afferuntur, resolvi debent ab homine in illis scientiis versato. Ad Dialecticam solum pertinet illa vitia indicare, quae regulas ad recte argumentandum supra traditas, in quacumque materia laedere possunt, quin hoc prima fronte appareat, et ideo ab incautis non facile detegantur.

**89. Aequivocatio** est *acceptio ejusdem vocis diverso sensu in eadem argumentatione.* V. gr., *gallus pennas habet, hic homo est gallus, ergo hic homo pennas habet; — homo est species, Petrus est homo, ergo Petrus est species.*

**90. Amphibologia** *consistit in eo quod non una vox, sed integra phrasis diverso sensu accipiatur.* V. gr., *qui dicit* CANEM ESSE ANIMAL *verum dicit; sed qui dicit* CANEM ESSE MUSCAM, *dicit* EUM ESSE ANIMAL ; *ergo qui dicit* CANEM ESSE MUSCAM, *verum dicit; — hi libri sunt Aristotelis; quod alicujus est, ab ipso possidetur; ergo hi libri ab Aristotele possidentur.*

Haec sophismata solvuntur distinguendo duplicem sensum vocis aut phrasis. Ita, ad majorem ultimi exempli diceretur: *hi libri sunt Aristotelis ut auctoris,* CONCEDO ; *ut domini,* NEGO. Ad minorem : *quod est alicujus ut auctoris, ab ipso possidetur,* NEGO ; *quod est alicujus ut domini,* CONCEDO. Ideoque consequentia nulla est.

**91. Compositio,** seu transitus a sensu diviso ad compositum, *consistit in eo quod in conclusione conjunctim affirmentur res incompossibiles, quae separatim affirmatae erant in praemissis.* V. gr., *Petrus est sedens, Petrus ambulare potest, ergo potest ambulare sedens; — haec capra est mater, est tua, ergo est mater tua.*

**92. Divisio,** seu transitus a sensu composito ad divisum, *consistit in eo quod separatim negetur in conclusione aliquid, cujus conjunctio cum alio negata erat in praemissis.* V. gr., *qui sedet nequit ambulare, Petrus sedet, ergo Petrus nequit ambulare.*

Ad diluenda haec sophismata, distinguitur sensus compositus a diviso in propositionibus ubi explicite vel implicite confunduntur. Ita, in minore primi exempli distinguitur sic: Petrus ambulare potest *in sensu composito sessionis*, NEGO; *in sensu diviso*, CONCEDO.

Verba Christi Domini: *caeci vident*, *surdi audiunt*, *muti loquuntur*, vera sunt quia accipiuntur in sensu diviso; significant enim eos, qui caeci erant, nunc videre, etc. In sensu composito essent falsa.

**93. Accidentis** fallacia *consistit in eo quod in conclusione dicatur de aliquo subjecto secundum se accepto illud quod in praemissis dictum erat de ipso ut investito aliqua forma logica accidentali; vel e converso.* V. gr., *non cognoscis hunc larvatum, ipse est frater tuus, ergo non cognoscis fratrem tuum.* Hoc sophisma facile committitur in materia subtili.

**94. Transitus a relativo ad absolutum** (seu a dicto secundum quid ad dictum simpliciter), **aut viceversa;** *consistit in eo quod tollatur in conclusione restrictio aliqua necessaria quae habebatur in praemissis, vel perperam addatur aliqua quae non erat in illis.* V. gr., *homo non est corporeus secundum animam, ergo homo non est corporeus;* vel *homo est corporeus, ergo secundum animam est corporeus.*

**95. Ignorantia elenchi,** seu ignorantia contradictionis, est fallacia *in hoc consistens quod quis adversarium impugnet probans, quasi esset contra thesim ejus, aliquid quod re vera non est contra illam.* Ita accideret, si quis dixisset *aliquem hominem esse sapientem*, et adversarius probaret, quasi ipsi contradicens, *aliquem hominem non esse sapientem.* Ipse qui hoc modo impugnatur saepe non advertit fraudem vel errorem, quia non bene callet aut non retinet sensum suae theseos.

**96. Petitio principii** *committitur quum argumentatio fundatur in aliqua propositione* (sive sit expressa, sive tacita in enthymemate), *quae non potest admitti nisi praesupposita conclusionis veritate.* V. gr., si quis probaret non dari substantiam distinctam a Deo, di-

cens: *Substantia definitur: ens increatum; atqui solus Deus est ens increatum; ergo non datur substantia distincta a Deo* (1).

Ad petitionem principii reducitur CIRCULUS VITIOSUS, *consistens in eo quod declarentur vel demonstrentur duae res, alia per aliam.* In illam incurreret, qui probaret *terram moveri, quia sol stat*, et *solem stare, quia terra movetur.*

**97. Falsae causae** sophisma *committitur, quum quis assignat pro vera causa alicujus facti, aliquid quod tantum praecessit* (post hoc, ergo propter hoc), *vel fuit occasio aut mera conditio.* Tale esset virtuti attribuere persecutiones impiorum.

## ARTICULUS VI

### DE PRINCIPIIS ARGUMENTATIONUM PROBABILIUM

**98. Argumentatio probabilis** illa est *quae nititur aliqua propositione prudenter quidem admissa, sed non certa*, quae proinde in aliquibus casibus non tenet vel potest non tenere. Ut argumentatio probabilitatem non excedat, sufficit quod sit incerta aliqua ex ejus praemissis, sive expressa, sive tacita.

Hoc argumentandi genus, quamvis inferius demonstratione, attamen etiam pro scientiis valde utilis est: tum quia ubi assequi non possumus certitudinem, notitia imperfectiori contentari debemus; tum quia per illud sternitur via ad ulteriores inquisitiones, quibus forte certitudinem obtinere possimus.

Nunc breviter agemus de *conspectibus numericis*

---

(1) Quum dicitur, v. gr., *omnis homo in peccato originali natus est, atqui Cicero fuit homo, ergo Cicero natus est in peccato originali*; non committitur petitio principii, quamvis in majore conclusio includatur, quia major admitti posset nihil sciendo de Cicerone, vel ipsam ejus existentiam negando; et pariter minor, nihil sciendo de peccato originali, vel illud negando; ac proinde utraque praemissa seorsim sumpta admitti potest, quin peccatum originale in Cicerone praesupponatur.

*rerum observatarum* (estadísticas), de *calculo probabilitatum* et de *analogia*, quibus argumentationes probabiles praecipue nituntur. Etiam aliquid dicemus de *hypothesi*, quae in argumento probabili fundari solet.

**99. Conspectus numerici rerum observatarum.** — Sunt *quaedam tabellae in quibus distincte annotatur quot vicibus aliquod factum statutis temporis intervallis locum habuerit.* Ex illis saepe inferri potest, sub forma legis magis vel minus determinatae, relatio facti de quo agitur, cum aliqua vel aliquibus circumstantiis. Ita, si annotando per plures annos numerum habitantium in aliqua urbe et numerum *defunctionum*, apparet quod in circumstantiis ordinariis fere invariabiliter moriuntur singulis annis *tot* personae pro 100 habitantibus; supponi potest quod in posterum idem accidet, nisi conditiones *salubritatis* immutentur.

Probabilitas de eo quod numerus *defunctionum* intra annum conformetur *tanto pro 100* ex conspectu numerico illato, eo major est, quo plures habitantes habeat urbs, de qua agatur; quia facile accidere potest quod in determinata collectione 100 personarum *mortalitas* major vel minor sit, sed in urbe quae pluries 100 habitantes habeat, ille excessus vel defectus fere sine dubio compensabitur ex minore vel majore *mortalitate* quae occurrat in alia collectione.

**100. Calculus probabilitatum.**—Respectu *factorum*, quae nec subjiciuntur determinatae legi naturali, nec pendent ex libertate unius vel paucorum hominum, determinari potest *a priori* eorum PROBABILITAS, seu quoties probabiliter habebunt locum, ope *calculi probabilitatum*, ut aiunt. Principia hujus calculi haec sunt.

I. PROBABILITAS ALICUJUS FACTI DETERMINATI INTER ALIA AEQUE POSSIBILIA, EXPRIMITUR FRACTIONE CUJUS DENOMINATOR SIT NUMERUS CASUUM POSSIBILIUM, NUMERATOR VERO NUMERUS CASUUM IN QUIBUS ILLUD FACTUM EVENIRET (casuum *favorabilium*). Ita, probabilitas de eo quod quis, accipiens clausis oculis unam chartam lusoriam ex collectione completa, *regem* extrahat, ex-

primitur fractione $\frac{4}{48}$, et probabilitas non extrahendi *regem* fractione $\frac{44}{48}$; etenim casus possibiles sunt 48, in 4 ex his extraheretur *rex*, et in aliis 44 non extraheretur. (Cave ne inferas ex hoc, quod si quis faceret 48 extractiones ex collectione completa, quater extraheret *regem;* siquidem aliquae chartae possent accipi bis vel pluries, aliae vero nec semel).

Principium hoc non demonstratur, sed admittitur ut rationi conforme, quia assignat aequalem probabilitatem unicuique ex casibus possibilibus, et majorem illi qui habet plures casus *favorabiles*. Ex illo infertur certitudinem valere 1.

II. Probabilitas de eo quod simul dentur duo facta independentia, aequivalet producto probabilitatum eorum factorum singillatim acceptorum. Ita, si habemus duas collectiones completas chartarum lusoriarum et ex utraque extrahimus clausis oculis unam chartam, probabilitas de eo quod accipiamus duos *reges* erit $\frac{4}{48} \times \frac{44}{48}$.

Neque hoc principium demonstratur, sed est rationi conforme; siquidem productum duarum fractionum propriarum (minoris valoris quam 1) est minus unaquaque, sicut minus probabile est quod duo facta determinata conjungantur, quam quod eveniat unum ex illis.

III. Si duo facta ita connexa sunt, ut unum requiratur ad aliud, absoluta probabilitas hujus aequivalet producto probabilitatis primi et probabilitatis quam habet secundum primo supposito. Ita, quum aliqua charta extrahitur ex collectione completa, nequit accipi *rex*, quin *figura* accipiatur; jamvero probabilitas absoluta de eo quod extrahatur *rex*, $\frac{4}{48}$, aequivalet producto probabilitatis de extractione *figurae*, $\frac{12}{48}$, *et* probabilitatis de eo quod supposita extractione *figurae* haec sit *rex*, $\frac{4}{12}$; etenim $\frac{12}{48} \times \frac{4}{12} = \frac{4 \cdot 12}{48 \cdot 12} = \frac{4}{48}$. Ratio est,

quia numerus casuum favorabilium extractioni *figurae* est *numerator* in prima *fractione* et *denominator* in secunda, et ideo si hae multiplicantur et simplificatur fractio exprimens productum, remanet in numeratore solus numerus casuum favorabilium extractioni *regis* et in denominatore solus numerus casuum possibilium.

IV. QUUM AD ALIQUOD FACTUM REQUIRITUR ET SUFFICIT ALIQUA EX PLURIBUS HYPOTHESIBUS INTER SE INDEPENDENTIBUS, PROBABILITAS ILLIUS FACTI AEQUIVALET SUMMAE PROBABILITATUM EARUM HYPOTHESIUM SEORSIM ACCEPTARUM. Ita, ut extrahatur *figura* ex collectione chartarum, requiritur et sufficit accipere vel *regem*, vel *equum*, vel *peditem;* jamvero, probabilitas extractionis figurae, quae, ut scimus, exprimitur per $\frac{12}{48}$, aequivalet summae probabilitatum de extractione *regis*, $\frac{4}{48}$, de extractione *equi*, $\frac{4}{48}$, et de extractione *peditis*, $\frac{4}{48}$. Ratio est, quia numerus casuum favorabilium illi facto de quo agitur, aequivalet summae casuum singulis hypothesibus favorabilium.

**101. Analogia** est *argumentatio in qua ex aequalitate, vel similitudine quam in aliquibus exhibent duae res, concluditur etiam in aliis ipsas convenire.* Sic, v. gr., ex similitudine inter organa et motus bruti et hominis, concludimus etiam brutum sentire, seu animam sensitivam habere. Argumentatio analogica fieri potest aut per modum *inductionis*, aut per modum *exempli*, prout conclusio habeat sensum generalem vel particularem.

**Principia analogiae** haec sunt: QUOD VALET IN UNO SIMILIUM, VALET IN CAETERIS, ET QUOD NON VALET IN UNO, NEQUE IN CAETERIS. — RES SIMILES, EFFECTUS SIMILES PRODUCUNT, SIMILES FINES HABENT.— Etc.

Hinc jam apparet analogiam ex se tantum probabilitatem gignere, siquidem haec principia in aliquibus casibus particularibus fallere possunt. Aliquando tamen producere valent certitudinem moralem.

**102. Hypothesis** est *suppositio quaedam rationi conformis et apta ad aliquod factum explicandum;* ita, v. gr., supponitur existentia *aetheris* ad explicanda quaedam phaenomena physica.

**Regulae hypotheseos.** — I. HYPOTHESIS DEBET ESSE POSSIBILIS, seu non absurda; quia quod absurdum est nullum factum explicare valet. Contra hanc regulam peccat hypothesis de materia increata ad explicandam originem mundi.

II. DEBET ESSE APTA AD OMNIA ILLA FACTA EXPLICANDA, QUORUM RATIO VEL CAUSA QUAERITUR, quia hic est finis ipsius.

III. CONTRADICERE NON POTEST ALIIS FACTIS VEL LEGIBUS JAM COMPERTIS; siquidem est error manifestus illud quod alicui veritati contradicit.

IV. Denique, servatis praecedentibus regulis, ELIGENDA EST HYPOTHESIS SIMPLICIOR; quia natura nec deficit in necessariis, nec facit pluribus mediis, quod paucioribus fieri potest.

**103. Notanda.** — 1.$^{m}$ *In omnibus scientiis usus hypothesium frequens et utilis est;* nam homo propter limitationem suae mentis non detegit uno intuitu naturam et causas rerum, sed debet ad hoc pervenire gradatim et per media apta, quorum unum est hypotheses excogitare.

2.$^{m}$ *Summopere oportet nullam hypothesim accipere tamquam thesim, quin certo constet de ejus veritate,* quia secus adhuc posset detegi illam esse falsam.

3.$^{m}$ *Aliqua hypothesis ut thesis haberi potest, si servat omnes regulas supra traditas, et insuper omnes aliae hypotheses, quae fieri possent, apparent absurdae vel inadmissibiles;* tunc enim non habetur ratio prudens dubitandi de ejus veritate.

# CAPUT IV

## DE METHODO

**104. Objectum et divisio capitis.** — Quum ad progressum scientiarum omnino necessarium sit, ut experientia constat, in ipsis ordinate procedere; huic primae parti Logicae finem imponere non possumus, quin aliquid de methodo dicamus. Ut autem illa, quae ad rem pertinent, clare exponamus, praesens caput in tres articulos dividemus: in 1.°, agemus de methodo in genere ac de ejus divisione in analyticam et syntheticam; in 2.°, de methodo servanda in scientiis physicis et historicis; in 3.° demum, de methodo docendi et discendi scientias speculativas.

### ARTICULUS I

#### DE METHODO IN GENERE, EJUSQUE DIVISIONE IN ANALYTICAM ET SYNTHETICAM

**105. Definitio methodi.** — Vox METHODUS (graece *methodos*, via, iter) significat *modum aptum procedendi ad aliquem finem obtinendum;* ideoque methodus scientifica, de qua unice agemus, est *modus aptus assequendi vel docendi aliquam scientiam aut veritatem.*

**106. Regulae generales methodi.** — Methodi scientificae plurimae sunt, veritates enim diversae, et interdum eaedem, variis modis detegi possunt; semper tamen utile est sequentes regulas generales observare, a Descartes traditas.

I. NIHIL UT CERTUM HABERI DEBET, NISI EVIDENTIA COGAT.

II. DIVIDENDAE SUNT DIFFICULTATES, quae veritatem

tegunt, IN TOT PARTES, IN QUOT DIVIDI POSSINT, ET OPORTET AD IPSAS MELIUS SOLVENDAS.

III. INCIPIENDUM EST A REBUS SIMPLICIORIBUS ET FACILIORIBUS, ET GRADATIM AD MAGIS COMPLEXAS ET DIFFICILES ASCENDENDUM.

IV. FREQUENTER IN EXAMEN REVOCANDUM EST NUM ALIQUID PRAETERMISSUM SIT, AD QUOD ATTENDERE OPORTEAT.

**107. Divisio methodi.** — Methodus dividi solet in ANALYTICAM et SYNTHETICAM, eo quod ad detegendam aliquam veritatem semper adhiberi debeat semel aut pluries *analysis* aut *synthesis*.

ANALYSIS (ex graeco *analyo*, divido) idem est ac *divisio seu resolutio totius actualis in suas partes*. Ita chimicus quum obtinet ex aqua oxigenium et hydrogenium, quasi in illa continerentur, dicit se analysim fecisse.

SYNTHESIS (ex graeco *synthizemi*, compono) est *conjunctio partium in aliquo toto actuali;* ideo chimicus quum adhibitis oxigenio et hydrogenio obtinet aquam, quasi totum illa duo includens, dicitur synthesim fecisse.

**108. Diversi casus, in quibus analysis vel sinthesis locum habent.** — Ex notionibus traditis facile intelligitur analysim adhiberi: 1.°, quum proceditur ex conceptu majoris comprehensionis ad conceptus minoris comprehensionis in eo contentos (etiam ad illos qui majorem extensionem habent), v. gr., ex conceptu *homo* ad conceptus *animal* et *rationale;* 2.°, quum proceditur ex propositione *universali* ad particulares in ea *immediate* contentas, v. gr., ex: *omnis homo est mortalis*, ad: *hic homo est mortalis*, *ille homo est mortalis*, *etc.;* 3.°, quum aliqua quaestio vel problema ad aliud simplicius reducitur; 4.° denique, analysi opus est quum vera causa alicujus effectus detegi debet, oportet enim adjuncta seorsim inspicere.

E contra synthesis adhibetur: 1.°, quum proceditur ex conceptu minoris comprehensionis ad alium magis

comprehensivum (quamvis minorem extensionem habeat) in quo ille includatur, v. gr., ex conceptu *animal* ad conceptum *homo;* 2.°, ex variis propositionibus particularibus idem praedicatum habentibus et quorum subjecta solo numero differant, ad propositionem universalem illas omnes complectentem, v. gr., ex: *hic homo est mortalis*, — *ille homo est mortalis*, — etc., ad: *omnis homo est mortalis;* 3.°, ex aliquo principio ad conclusiones quae ex illo derivantur; 4.° demum, ex cognitione causae ad cognitionem effectuum qui ex ipsa, in diversis adjunctis posita, oriri possunt.

**109. Necessitas analysis et synthesis.** — Utraque necessaria est in omni scientia. Quia ut aliquod objectum vel aliqua veritas bene sciatur, oportet omnes ejus partes seu elementa bene cognoscere, hae autem sine analysi cognosci nequeunt. Sed ad perfectam notitiam objecti seu veritatis insuper cognosci debent relationes partium inter se atque complexus earum in sua unitate, quod sine synthesi obtineri nequit.

**110. Corollarium.** — Ex dictis infertur quod si aliqua scientia vocetur *analytica*, non ideo intelligi debet illam nunquam synthesi uti, sed in ea analysim praevalere. Et similiter dici debet de scientia quae vocetur *synthetica*.

## ARTICULUS II

### DE METHODO SERVANDA IN SCIENTIIS PHYSICIS ET HISTORICIS

**111. De objecto scientiarum physicarum.** — I. Nomine scientiarum physicarum illas intelligimus, quarum objectum speciale in detegendis legibus et causis phaenomenorum naturalium consistit.

LEGES PHYSICAE seu leges naturae sunt *illi constantes modi agendi seu operandi, quibus subjectae sunt res corporeae juxta suam naturam.* Hae leges exprimuntur propositionibus universalibus, v. gr.: *aqua in siphone*

*ascendit ad altitudinem aequalem illi a qua descendit.*

Causa alicujus phaenomeni, seu facti sensibilis, est (pro his scientiis) *aliud phaenomenon cujus productio requiritur et sufficit ad determinandam productionem illius.* Ita, calefactio metalli est causa dilatationis ipsius.

II. Quum entium materialium naturam non cognoscamus, nisi ex ejus phaenomenis atque operationibus; tantum a posteriori cognoscere possumus eorum leges et causas, scilicet ope observationis et experientiae.

Observatio est *attenta inspectio phaenomenorum quae in rerum natura sua sponte producuntur;* v. gr., casus aquae, cursus astrorum, etc.

Experimentatio seu experientia est *attenta inspectio phaenomenorum quae quis sua industria facit ut producantur;* v. gr., ope machinae electricae.

**112. Requisita ad bene observandum.** — I. Ut observatio recte procedat, dari debent ex parte observatoris requisita sequentia:

Physica: *sensus sani*, saltem illi qui adhibendi sunt; et ad illos juvandos *instrumenta apta.*

Intellectualia: *curiositas* seu naturale desiderium inquirendi, et *sagacitas* ad discernendum.

Moralia: *patientia*, observationes enim prolixae esse solent; *audacia*, si aliquod periculum subeundum est; *impartialitas*, ut sincere quaeratur veritas et non alicujus praejudicii confirmatio.

II. Ipsa observatio debet esse: *completa*, ne quid alicujus momenti inobservatum maneat; *exacta*, ita ut in quantum fieri possit determinentur valores numerici. Hoc autem exigit ut repetitis observationibus omnia adjuncta *sucessive* et *ordinate* considerentur.

**113. Regulae ad detegendam veram causam phaenomenorum.** — Hae traditae sunt a Stuart Mill: 1.ª *(de concordantia)*, quum aliquod phaenomenon producitur in diversis adjunctis, quaeri debet ejus causa inter adjuncta quae semper adfuerunt; 2.ª *(de differentia)*, quum in uno casu producitur, in alio vero non, causa quaerenda est inter adjuncta quae adsint in pri-

mo et non in altero; 3.ª *(de residuis)*, si constat aliqua adjuncta esse causam partis alicujus phaenomeni complexi, causa alterius partis quaerenda est inter caetera adjuncta; 4.ª *(de variationibus concomitantibus)*, quum variationibus alicujus adjuncti respondent variationes in phaenomeno, illud adjunctum est causa saltem partialis illius phaenomeni.

**114. De objecto scientiarum historicarum.** — I. Objectum proprium harum scientiarum in inquirendis factis humanis temporum praeteritorum consistit.

Ille qui inquisitionibus historicis operam dat, debet habere curiositatem, patientiam et impartialitatem; sed insuper observare debet regulas *Criticae historicae* et *Hermeneuticae*.

II. CRITICA HISTORICA est *ars judicandi de veritate factorum historicorum atque de authenticitate et integritate documentorum et monumentorum antiquorum.* HERMENEUTICA autem est *ars interpretandi sensum auctoris in locutionibus dubiis.*

DOCUMENTA valde antiqua sunt omnia *manu scripta* in chartis *pergamenis*, et plerumque transcriptiones originalis perditi. Generatim pluribus foliis constant, et vocantur *codices*. — MONUMENTA sunt *opera artis destinata ad perpetuandam memoriam alicujus facti*, v. gr., numismata, statuae, picturae, templa, etc.

III. AUTHENTICUM vocatur illud documentum, seu monumentum, quod re vera habet illum auctorem cui tribuitur (nomine auctoris intelligendo non amanuensem seu constructores, sed illum qui narrationem mente composuit, vel jussit monumentum fieri); SUPPOSITITIUM seu SPURIUM, illud quod non correspondet auctori, cui tribuitur; INTEGRUM, illud quod remanet sicut ab ipso auctore vel ejus jussu factum est; MUTILATUM illud a quo aliquid est desumptum. Porro si praecise agitur de documentis, vocatur INTERPOLATUM illud cui aliquid additum est; et ADULTERATUM illud in quo aliqua mutatio est facta.

Quamvis constet de authenticitate et integritate do-

cumenti seu monumenti, potest esse dubium de fide quam mereatur auctor. Ad hoc dubium solvendum dabimus regulas in altera parte Logicae, quum agemus de valore testimonii humani circa facta historica.

IV. Authenticitas monumentorum constare potest partim ex materiis quibus confecta sunt, ex stylo artistico vel ex litterario inscriptionum, ex statu conservationis, etc.; partim et potissimum ex traditione (narratione orali a patribus ad filios transmissa) vel ex documentis.

**117. Regulae criticae internae documentorum.** — Critica interna codicum vel documentorum fit per examen solius narrationis in illis contentae. Regulae hujus criticae sunt sequentes:

I. Codex in quo narrantur facta, quae post mortem existimati auctoris evenerunt, non est authenticus, vel saltem est adulteratus.

II. Neque haberi potest ut authenticus, ille codex cujus stylus longe differt ab eo quem auctor existimatus in suis operibus indubiis adhibuit; nisi aliqua ratio hujus diversitatis appareat.

III. Idem dicendum est de codice in quo vel manifestantur opiniones contrariae illis quas auctor existimatus certe profitebatur, vel narrantur res cum ipsius moribus non cohaerentes. Excipe casum in quo constet existimatum auctorem non fuisse constantem in suis opinionibus vel moribus.

**118. Regulae criticae externae.** — Haec critica fit per rationes non desumptas ex ipsa narratione, sed ex qualite papyri vel atramenti, ex figura litterarum, ex comparatione plurium codicum, etc. Praecipuae regulae hujus criticae sunt sequentes:

I. Codex vel documentum autographum (in quo agnoscitur clare *littera* auctoris cui tribuitur) pro authentico haberi debet.

II. Opera, quae conservantur in pluribus codicibus inter se independentibus, et in illis omnibus eidem auctori attribuuntur, habenda sunt ut authentica.

III. Si codices non cohaerent inter se quoad auctorem, standum est antiquioribus.

IV. Ad ferendum judicium de integritate alicujus operis utilissimum est posse comparare diversos codices inter se independentes, praecipue attendendo ad antiquiores; siquidem inverisimile est quod omnes sint adulterati.

V. Opus interpolatum est, si codices recentiores aliquid habent, quod deest in antiquioribus. E contra, si in his aliquid habetur quod deest in recentioribus, opus mutilatum est.

VI. Opera, quae ab auctoribus antiquis spuria censebantur, ut talia haberi debent, nisi contrarium evidenter probetur.

**119. Argumentum negativum** illud est *quod ad negandum aliquod factum deducitur ex silentio auctorum contemporaneorum circà ipsum*. Juxta sanam Logicam argumentum negativum non habet ullum valorem nisi aequivaleat argumento positivo; ideoque etsi nullus ex auctoribus contemporaneis loquatur de aliquo facto, ut illud certo negari possit:

1.° Constare debet quod omnia documenta contemporanea, vel saltem praecipua, integra ad nos pervenerunt; etenim si aliqua deperdita sunt vel mutilata, dubitari potest an de illo facto aliquid dixerint.

2.° Constare debet auctores illos debuisse cognoscere tale factum, et de illo loqui, si re vera accidisset et illud cognovissent.

3.° Illud factum non debet constare traditione et monumentis, quia haec sunt criteria veritatis, et quidem majoris momenti quam historia.

**120. Regulae Hermeneuticae.** — I. Legantur codices correctiores et antiquiores, qui inveniri possint, praesertim in lingua originali.

II. Determinentur diversi sensus, quos habere possunt locutiones dubiae; et tunc ille sensus eligatur, qui magis cohaereat cum fine operis et contextu.

III. Si hoc non sufficeret, attendendum es ad locos

parallelos, si habentur, et ad doctrinam traditam ab ipso auctore in aliis operibus.

IV. Denique, si opus est, recurratur ad mores auctoris, ad opiniones communiores illo tempore, ad auctoritatem interpretum, etc., etc.

## ARTICULUS III

### DE METHODO DOCENDI ET DISCENDI SCIENTIAS SPECULATIVAS

**121. De methodo docendi.** — I. Quum veritates scientificae intime connexae sint inter se, opus est in ipsis docendis a simplicioribus et magis fundamentalibus incipere, et ita procedere ut alumnus non tantum penetret unamquamque earum, verum etiam percipiat nexum uniuscujusque cum caeteris.

II. In proponenda aliqua quaestione, sequentes regulae observari debent: 1.ª, declarare oportet notiones quae in ea quaestione interveniunt; 2.ª exponi debet status quaestionis ejusque connexio cum quaestionibus praecedentibus; 3.ª, enuntiari debet clare et praecise propositio seu thesis, quae probanda assumitur, eamque demonstrare argumentis potius solidis, quam multiplicibus; 4.ª, proponendae et solvendae sunt praecipuae difficultates, quae contra thesim militant, etenim, ut dicit Sanctus Thomas, non plene cognoscitur aliqua veritas nisi solvere sciatur difficultates contrarias.

III. Tam in probatione theseos, quam in propositione difficultatum, multum prodest uti syllogismis simplicibus vel enthymematis, praesertim si ratiocinia sunt abstracta; quia seposito modo loquendi oratorio et diffuso facilius detegitur veritas et ab errore distinguitur. Audiatur quid dicat Leibniz ad rem nostram: «Si Renatus Descartes, vir aliunde eximius, saltem semel conatus esset convertere suas meditationes in propositiones, et suas dissertationes in demonstrationes, vidisset

plurimas ex illis ruere». (*De vera Methodo*, pag. 110). Atque noster Balmes in suo opere *El Criterio* (Nota 15) ait: «Parum dicam de formis argumentandi... Ad inveniendas res novas inserviunt parum vel nihil, ad veritates exponendas, multum; et generatim assuescere ad usum earum per aliquod tempus, relinquit in intellectu magnam claritatem et praecisionem, quae non facile amittuntur, et valde prosunt in omnibus studiis».

**122. De methodo studendi.** — I. *Imprimis operae pretium est incipere ab studiis elementaribus sub magistro.* Quia in omni scientia habentur plures notiones primordiales, voces et locutiones propriae, quae non possunt disci nisi in opere elementali et sub directione magistri experti. Multum nocet juvenibus quod existiment se solis posse discere scientias (Balmes, *Criterio*, c. 17, § IV).

II. *Oportet magnam curam adhibere ad bene intelligendas omnes res quae discuntur, et solutiones dubiorum et difficultatum quae occurrunt.* Quia, quum veritates cujusvis scientiae connexae sint inter se, et frequenter cum veritatibus aliarum scientiarum, quodlibet dubium vel error circa quamlibet earum, magnum nocumentum afferre potest. — Hoc postulat *attentionem* et *meditationem.* Quum enim prima consistat in *applicatione mentis ad determinatum objectum*, evidens est ipsam esse necessariam ad adquirendam claritatem et praecisionem idearum, adeo exoptandam in omni scientia. Etiam meditatio seu *reflexio attenta et diuturna* necessaria est, siquidem plures veritates scientificae adeo difficiles sunt, ut sine meditatione non bene capiantur; et inde provenit quod plures conquerantur de inutilitate suorum studiorum. Lectio praepropera et irreflexiva non solum inutilis est, verum etiam nociva pro scientiis, ex illa enim necessario sequitur confusio idearum, quae saepe ducit ad ipsum scepticismum.

III. *In quavis scientia operae pretium est legere auctores classicos.* Etenim, positis studiis elementalibus,

magis discitur paucis lineis talium auctorum, quam multis pagellis aliorum.

**123. De utilitate disputationum.** — Disputatio in hoc consistit quod unus defendat, alter vero impugnet aliquam propositionem. De utilitate disputationis ambigi nequit, etenim, ut ait Balmes, «in aestu disputationis, et interdum in suavi motu tranquillae conversationis, nobis occurrunt cogitationes, quas nunquam habueramus. Difficultates adversarii, observationes amici, dubitationes indifferentis et interdum ipsae stultitiae ignorantis, exhibent nobis aspectus rerum omnino novos, quibus quaestiones amplificantur et illustrantur» (*Logica*, c. 2, s. 9). Ideo aiebat Sanctus Augustinus: *circulus et calamus fecerunt me doctorem*, et propterea disputatio usurpatur tamquam exercitium scholare.

**124. Species disputationum.** — Disputatio in triplicem speciem dividi potest, scilicet, in VULGAREM *seu* COMMUNEM, SOCRATICAM et SCHOLASTICAM. De singulis breviter agemus.

I. Communis vocatur illa disputatio *quae fit ut solet in ordinario commercio hominum*. Circa hanc formam disputandi hoc solum notandum est, quod regulae mox tradendae eo difficilius in ipsa servantur, quo major est libertas in loquendo.

II. Disputatio socratica, quae ita vocatur quia a Socrate adhibita fuit contra sophistas et scepticos sui temporis, *in eo consistit quod successivis interrogationibus adversarius adstringatur ad veritatem fatendam vel contradictionem devorandam*. Interdum adhibetur etiam in scriptis ut methodus expositiva, dialogo simulato.

Circa hanc methodum est notandum: 1.°, quod neque ad docendum, neque ad disputandum debet adhiberi cum exclusione aliarum; 2.°, utilissimam esse in argumentatione *ad hominem*, ut sophistae et sceptici cogantur tacere, si nolunt convinci; 3.°, etiam utilem esse in docendo, ut tirones parum assueti ad ratiocinandum sua sponte, discant hoc facere; 4.°, in scriptis vix

unquam praeferenda videtur, quia admodum difficile est ope dialogi, praesertim longioris, obtinere ut lector capiat totam vim probationum et solutionum ad difficultates propositas. Id observari potest in dialogis Platonis, Ciceronis et ipsius Sancti Augustini.

III. In forma scholastica disputandi *adhibentur tum ad probandum, tum ad impugnandum, syllogismi vel enthymemata paucorum verborum.* Dubitari nequit de magna convenientia assuefaciendi tirones ad hanc formam disputandi. Ope illius adolescens discit intelligere subtiliter, impugnare strenue et clare, discernere veritatem ab errore, et nullam difficultatem insolutam relinquere. Audiatur iterum Leibniz: «Ego ipse, disputans cum personis bona fide procedentibus, expertus sum illas non incepisse ideas claras efformare nisi arguendo in forma (scholastica)». *(Novum tentamen circa intellectum*, c. 17).

**125. Regulae generales disputationis.** — I. ANTEQUAM DISPUTATIO INSTITUATUR, COGNOSCI DEBET IN QUIBUS PRINCIPIIS ADVERSARII CONVENIANT. Si enim in nullo conveniunt, tota disputatio erit inutilis.

II. VITARI DEBET SPIRITUS DISPUTANDI, in eo consistens, quod non quaeratur veritas, sed lucta et victoria supra adversarium.

III. INTER DISPUTANDUM REGULAE LOGICAE SERVARI DEBENT, ET OMNE SOPHISMA VITARI. Secus enim ex disputatione non oriretur lux, sed confusio.

IV. DISPUTATIO CESSARE DEBET STATIM AC QUIS AGNOSCIT ADVERSARIUM PROPUGNARE VERITATEM. Etenim finis, qui in disputatione intendebatur, jam est obtentus. Porro veritatem hucusque ignotam amplecti, et errorem detectum fateri, nemini probrum est, quamvis amor proprius oppositum suadere velit.

In disputationibus scholaribus non est amplius insistendum difficultatibus jam bene solutis.

**126. Regulae disputationis scholasticae.**—In disputatione scholastica ita proceditur: 1.°, arguens affirmat aliquid contrarium vel contradictorium thesi, quam

impugnare vult; 2.°, defendens illud assertum repetit et negat; 3.°, arguens suum assertum probat *brevi* syllogismo vel enthymemate; 4.°, defendens repetit integrum argumentum *semel;* 5.°, denuo repetit majorem, sed *solam* (vel antecedens *solum)*, et illam concedit, negat, distinguit vel transmittit (1); 6.°, si non negavit majorem, repetit minorem *solam*, eamque concedit, negat, distinguit vel transmittit; 7.°, si neque negavit minorem (vel non negavit antecedens), repetit conclusionem seu consequens, et negat consequentiam, vel distinguit consequens (secus teneretur se convictum fateri); 8.°, arguens debet probare in forma illud, quod ipsi negatum est; 9.°, defendens iterum respondet sicut antea, et ita porro, donec finitur tempus vel alteruter ex disputantibus se convictum ab altero fatetur.

In exercitiis scholaribus, hoc modo solutis una vel pluribus difficultatibus, aliae modo vulgari proponuntur et simili modo solvuntur.

Non explicamus minutius hunc modum disputandi, quia melius discitur ipso exercitio, quam longiori expositione. Hoc tamen addemus, quod aliquando objectio vel argumentum solvi debet non praecise suis propositionibus respondendo, sed negando suppositum quo nititur, nec tamen explicite proponitur.

---

(1) Quum aliqua propositio transmittitur, haberi potest tamquam concessa, sed tantum in ordine ad arguendum contra thesim impugnatam.

# CRITICA

## NOTIONES PRAELIMINARES

**1. Definitio hujus partis Logicae.**—I. Haec pars Logicae, quae etiam CRITERIOLOGIA (ex *crino*, judico, discerno) nominatur, definiri potest: *Scientia quae valorem objectivum cognitionum nostrarum in examen revocat, supremum certitudinis fundamentum statuit, atque naturam scientiae in genere declarat.* Etiam vocatur EPISTEMOLOGIA (ex *episteme*, scientia), quia de *scientia*, seu cognitione certa, agit. Porro tunc aliqua cognitio pro nobis certa est, quum illam necessario veram esse scimus.

II. Critica, magnam habet connexionem cum Dialectica, cum Ontologia, cum Cosmologia et cum Psychologia, quae circa actus nostros cognoscitivos vel circa res ipsis respondentes versantur; sed ab his scientiis secernitur, quia ipsae potius supponunt quam ostendunt nos cognitiones certas habere posse.

**2. De cognitionibus et facultatibus cognoscitivis.** — I. Omnes scimus quid sit COGNOSCERE, quin egeamus explicationibus, quae aliunde omnino inutiles essent pro eo, qui hoc nesciret. Etiam experientia scimus nec semper nos easdem res cognoscere, nec in cognoscendo mere passive nos habere. Hoc autem probat quod cognoscere hanc vel illam rem importat in nobis entitatem quamdam realem a nobismetipsis saltem partialiter productam. Porro hae transitoriae realitates, quae sua praesentia reddunt nos determinata objecta de facto cognoscentes, ACTUS COGNOSCITIVI vel COGNITIONES vocantur.

II. Praeter actus cognoscitivos, dantur in nobis actus APPETITIVI, seu propensionis aut aversionis erga

res cognitas. Tum actus cognoscitivi, tum appetitivi, designantur in genere nomine actuum INTENTIONALIUM.

III. Nullus actus intentionalis est in homine, qui ex systemate nerveo non dependeat, et ideo ope chloroformii omnes impediuntur; sed alii hanc dependentiam habent ex sua natura (sicilicet, quia systema nerveum concurrere debet ad eorum productionem), alii vero illam habent eo solo quod unio substantialis inter animam et corpus impedit quominus sine consortio alicujus ex prioribus ab anima produci possint. Dici solet primam dependentiam esse *intrinsecam*, alteram vero *extrinsecam*.

IV. Hi actus, vel eo quod producantur (aut credantur produci) in distinctis regionibus organismi nostri, vel eo quod valde differentes sint, attribuuntur FACULTATIBUS aut POTENTIIS *intentionalibus* saltem ratione distinctis inter se, de quibus in Psychologia disputatur utrum consistant, vel non, totaliter, aut partialiter, in accidentibus physicis hominis; ac proinde hae facultates in genere nunc definiendae videntur: *formae logicae* (v. Dial. n. 13, II) *quibus capaces reddimur determinatos actus intentionales producendi*.

Facultates nostrae cognoscitivae sunt QUINQUE SENSUS EXTERNI, SENSUS INTERNI, CONSCIENTIA et INTELLECTUS, de quibus postea agemus.

**3. Divisio Criteriologiae.** — Claritati et brevitati simul consulentes, in quatuor capita Criteriologiam dividemus: in 1.°, de natura veritatis et certitudinis tractabimus; in 2.°, de existentia legitimae certitudinis et de ejus criterio; in 3.°, de fontibus certitudinis ordinem realem respicientis; et in 4.°, de natura Scientiae ejusque relationibus cum Fide.

# CAPUT I

## DE VERITATIS ET CERTITUDINIS NATURA

**4. Divisio capitis.** — Praetermissis placitis quorumdam auctorum, de quibus capite sequenti agemus, negantium cognitionibus nostris objecta realia respondere, vel saltem hoc nobis constare posse; duobus articulis naturam veritatis logicae et certitudinis juxta sanam Philosophiam declarabimus.

## ARTICULUS I

### DE VERITATIS LOGICAE NATURA

**5. De triplice veritate.** — VERITAS, ut communiter agnoscitur, triplex est: LOGICA, METAPHYSICA et MORALIS.

I. Veritas logica, seu in cognoscendo, est *conformitas cognitionis cum re cognita;* eatenus enim dicimus esse *verum* aliquod judicium (v. gr., illud quo affirmatur *homo est rationale*, vel *Petrus currit)*, quatenus censemus subjectum *objectivum* mereri praedicatum eo judicio ipsi attributum.

II. Veritas metaphysica, seu in essendo, a pluribus definitur: *conformitas rei cognitae cum cognitione:* hoc sensu diceretur hominem esse *verum* rationale, vel Petrum *vere* currere, quia hoc exprimitur cognitione logice vera. Alii vero auctores nomine veritatis metaphysicae designare malunt *aptitudinem rerum ad hoc ut cognoscantur;* atque hoc sensu diceretur hominem esse *verum* rationale, aut Petrum *vere* currere, quia hoc *potest* exprimi cognitione logice vera. Hanc veritatem seu *aptitudinem* omnes omnino res habent (et ideo in sermone vulgari non solet tribui rei determinatae);

etenim quod non est, v. gr., *verum* vinum, *vere* est aliquid aliud, quamvis nos nesciamus quid.

Veritatem metaphysicam hoc secundo sensu accipiens, ait Sanctus Augustinus (Soliloq., l. 2, c. 5): VERUM *esse id quod est, non autem id quod videtur, aut quod tale est, quale videtur; quia etiamsi res non videatur neque conformitatem habeat cum aliqua cognitione, nihilominus* VERA est. Et juxta Sanctum Thomam (C. G. I, c. 60): *Licet* VERUM *proprie non sit in rebus, sed in mente,... res tamen interdum* VERA *dicitur... in quantum talis res, nata est de se facere veram aestimationem.*

Veritas metaphysica, ita considerata, vocatur quoque *transcendentalis*, et est logice *prior cognitione*, quamvis homines primum tribuerint nomen VERI actui cognoscendi quam objecto cognito vel cognoscibili.

III. Veritas moralis, quae etiam *veracitas* vocatur, est *conformitas locutionis cum mente;* etenim, ut in Dialectica diximus, locutio est signum naturale cogitationis, ideoque erit vera, quum hanc recte exprimat.

**6. Quaestio circa veritatem logicam.** — I. Nunc de sola veritate logica agendum est; nam veritas metaphysica ad Ontologiam pertinet, et veritas moralis ad Ethicam. Quaestio prima, quae circa veritatem logicam offertur, haec est: ¿in quo actu mentis illa invenitur? siquidem definitio ejus hoc non determinat.

II. Omnes auctores consentiunt in judiciis, sive veritatem logicam, sive falsitatem, inveniri posse propriissime; sed quoad apprehensionem, variae dantur opiniones. Aliqui, ut Bossuet, Locke et Rosmini, tenent in illa neque veritatem, neque falsitatem dari, eo quod nihil affirmat aut negat; alii cum Descartes docent eam esse semper formaliter veram, quia semper est conformis suo objecto; Laromiguière cum aliis asserit apprehensionem, sicut judicium, posse habere veritatem aut falsitatem; denique plures cum Sancto Thoma (I, q. 16, a. 2; q. 17, a. 3) dicunt veritatem *semper* inveniri in apprehensione, sed *non perfecte*, sicut in judiciis dari

potest (v. Los., *Log.*, tr. 5, dp. 2, c. 5, n. 2 — tm. 3, pag. 212).

III. Nobis videtur, cum hac postrema sententia, apprehensiones *abstractivas* esse quidem semper veras, quatenus semper alicui objecto (existenti vel non; possibili vel impossibili) conformes sunt, sed haec conformitas *merae repraesentationis* vix nomen veritatis logicae mereri, quamvis definitio usu accepta ipsi conveniat. Attamen *apprehensiones intuitivas* (v. Dial., n. 13) jure meritoque ut logice veras aut falsas habendas esse censemus, siquidem judicio fere aequivalent.

**7.** THESIS 1.ª — **Veritas logica tantum invenitur perfecte in judicio.**

Quum dicimus veritatem logicam perfecte inveniri in judicio, minime contendimus eam ita inveniri *semper*, ne in omnibus quidem judiciis *veris;* sed tantum asserere volumus eam in solo judicio dari *posse* cum tota illa perfectione, quae ipsi consentanea est. Hoc accidit quum judicium innititur motivis excludentibus formidinem errandi; v. gr., quum ex comparatione inter conceptum *homo* et conceptum *animal*, clare percipimus et affirmamus *hominem esse animal*.

PROBATUR. — Veritas logica est conformitas actus cognoscitivi cum suo objecto; atqui haec conformitas (saepe) invenitur *perfecte* in judicio, et extra illud perfecte inveniri non potest; ergo veritas logica tantum invenitur perfecte in judicio.

PROB. MIN. — In solo judicio invenitur (saepe non tantum conformitas merae repraesentationis inter apprehensionem munus praedicati gerentem et subjectum *objectivum*, sed insuper affirmatio hujus conformitatis fundata in motivo formidinem errandi excludente; atqui modus, quo perfecte habetur in intellectu nostro conformitas actus cum objecto, consistit in eo quod haec conformitas sit clare cognita et asserta; ergo conformitas actus cum objecto invenitur perfecte in solo judicio.

**8. De falsitate.** — I. Ad complendam notionem veritatis aliquid dicere debemus de falsitate. FALSITAS

LOGICA, utpote veritati opposita, definitur: *disconformitas actus cognoscitivi cum re*. Nullo autem modo definiri potest, ut vult Cousin: *veritas incompleta;* etenim quum veritas logica consistat in conformitate actus cognoscitivi cum re cognita, intellectus erit in possessione veritatis semper ac praedicatum rei cognitae attributum de facto ipsi conveniat, quamvis alia praedicata ignorentur. Ita, propositio: *anima humana est simplex*, etsi non exprimat omnia praedicata animae, est vera. Atque hinc sequitur veritatem, quamvis spectata conformitate, gradus habere possit, eos non admittere quatenus omnem falsitatem excludit.

II. FALSITAS MORALIS, seu mendacium, est *disconformitas locutionis cum mente*. Ejus studium ad Ethicam pertinet.

III. FALSITAS METAPHISICA, SEU IN ESSENDO, NON DATUR. Quia omnes res aptitudinem habent ad hoc ut vere cognoscantur, et de facto omnes cognoscuntur perfectissime a Deo. Interdum tamen res praebent *per accidens* occasionem judicandi falso de illis, siquidem ita offeruntur intellectui, ut hic, si non procedit caute, possit confundere unam rem cum alia, v. gr., metallum cujusdam coloris cum auro.

IV. FALSITAS LOGICA INVENITUR IN JUDICIO. Quia datur disconformitas inter actum cognoscitivum et rem cognitam, si huic attribuitur praedicatum non conveniens, vel negatur conveniens, ut interdum fit in nostris judiciis. Ita, esset falsum dicere: *terra est quadrata.*

V. FALSITAS LOGICA NEQUIT DARI IN APPREHENSIONE ABSTRACTIVA. Etenim, ut antea diximus, haec semper conformis est illi rei, quam de facto repraesentat. Attamen vocari posset falsa, vel potius fallax, si ad judicium falsum efformandum invitasset. Et hinc patet FALSITATEM LOGICAM POSSE DARI IN APPREHENSIONE INTUITIVA, quae fere aequivalet judicio; v. gr., quum baculus partim immersus aquae *videtur* inflexus.

**9. De judiciis contingenter veris.** — Quamvis judicium, in genere sumptum, capax sit veritatis aut fal-

sitatis; plura judicia necessario vera sunt, et alia plura necessario falsa. Hinc autem quaeri potest utrum dentur judicia, quae in individuo sumpta sive falsitatis sive veritatis capacia sint, vel e contra quodlibet judicium aut sit essentialiter verum, aut essentialiter falsum. Hoc ultimum aliqui pauci docuere (v. Los., *Log.*, tr. 5, dp. 2, c. 1, § 2 — tm. 3, p. 177).

**10.** THESIS 2.ª — **Non omne judicium verum veritate gaudet essentialiter.**

PROBATUR. — Hic actus *Petrus currit in foro*, quem supponimus verum, sed elicitum ex motivo fallibili (v. gr., ex auctoritate unius testis, vel ex eo quod ille homo plerumque soleat in hac hora quotidie ibi currere), potuit idem numero elici non currente Petro; atqui tunc esset falsus; ergo talis actus non gaudet essentialiter veritate, ac proinde non omne judicium verum veritate gaudet essentialiter.

PROB. MAJ. — Non currente Petro potuissent dari illa omnia quae de facto aliquem influxum in illum actum habuerunt, siquidem cursus Petri, qui supponitur distans, nullum influxum habere potuit; ergo nulla est ratio cur ille idem actus non potuisset elici sine cursu Petri.

**Confirmatur.** — 1.° AB EXEMPLIS: tum imaginis externae, quae de se potest esse nunc conformis nunc difformis prototypo, per solam hujus mutationem; tum enuntiationis vocalis, quae omnibus fatentibus, quamvis accipiatur ut significativa, non habet exigentiam veritatis. — 2.° AB ABSURDO: sequitur enim ex contraria sententia posse angelum vel daemonem cognoscere naturaliter utrum actus affirmans ex motivo fallibili aliquod secretum cordis, vel futurum liberum, vel mysterium supernaturale, sit verus necne, ac proinde naturaliter reddi certum de his rebus, quae juxta omnes ipsum latent.

**11. Notandum.** — Ex dictis colliges actus naturales et opinativos, seu non habentes motivum infallibile clare cognitum, quamvis versentur circa materiam ne-

cessariam, esse contingenter veros quantum est ex se; v. gr., si aliquis, eo solo quod ita audiverit ab amico quolibet, affirmat angulos ejusdem trianguli aequivalere duobus rectis. Ratio est, quia nihil cogit adstruere exigentiam actui intrinsecam, quum per merita solius objecti salvetur necessitas veritatis.

**12. De doctrina relativismi in veritate.** — Passim auditur nostris diebus, sive veritatem, sive omnem cognitionem, esse *relativam*. Et qui ita loquuntur non contendunt significare veritatem esse relationem conformitatis inter actum cognoscitivum et rem cognitam; sed veritatem circa eamdem rem esse simul diversam respectu diversorum subjectorum, atque etiam successive respectu ejusdem.

¿Quodnam judicium meretur hic modus loquendi? Non negamus unam eamdem rem posse apparere aliter et aliter diversis subjectis, atque etiam eidem pro diversis temporibus; sed quidem negamus recte posse dici *vera*, sive simul respectu diversorum subjectorum, sive successive (nisi de re variabili agatur) respectu ejusdem, illa judicia quae simul et in eodem subjecto essent contradictoria vel contraria. Et sine dubitatione asserimus relativismum, hoc sensu intellectum, esse falsum; siquidem est absurdum quod simul vera sint duo judicia, quorum unum asserat, v. gr., Petrum habere manus junctas, et alterum illum habere manus separatas; vel etiam successive duo judicia, quorum unum in praesenti affirmet tres angulos ejusdem trianguli aequivalere duobus rectis, et alterum, quod postea id neget (1).

**13. De constitutivis veritatis logicae.** — I. Circa constitutiva logicae veritatis, seu illius formae logicae (v. Dial. n. 13, II) qua aliqui actus nostri denominan-

(1) Haec doctrina damnata est in propositione 58 decreti *Lamentabili* (Denz.-Ban. 2058). — Aliud esset dicere nos in aliquo genere cognitionum scientificarum, praesertim si rigorosa exactitudo quaeritur, tantum pervenire posse ad conclusiones *relativas*, seu de quibus tantum constet eas exprimere leges phaenomeni observati *in quantum hoc observatori apparet*. Examen hujus relativismi ad Criticam non pertinet.

tur veri, variae sententiae circumferuntur. Prima docet veritatem semper identificari adaequate cum actu; secunda, hanc identitatem adaequatam solum dari quum actus essentialiter est verus, secus veritatem consistere in actu et in objecto; tertia, veritatem formalem (radicalis enim, seu exigentia veritatis, si datur, in solo actu habetur) semper consistere in actu et in objecto (1).

II. Haec ultima opinio, quam nos defendemus, generaliter supponit, ut ex probatione apparebit, objectum conceptibus nostris respondens, posse habere constitutiva importata *in recto* et constitutiva importata *in obliquo*. Priora sunt illae entitates quibus coalescit subjectum, cui terminus rem designans applicatur; constitutiva vero *in obliquo* sunt illae entitates quibus talis terminus non applicatur, sed tamen ex *solo* defectu *earum* (omnibus aliis entitatibus manentibus) res illa non haberetur. Sic, v. gr., *dives*, ut talis, constituitur *in recto* per solum illum hominem (coalescentem ex anima et corpore) qui dives dicitur; et *in obliquo* per divitias, quibus terminus *dives* non applicatur, sed ipsis solis deficientibus, non habetur *dives*. Juxta hanc, ergo, opinionem, veritas importat actum et objectum, sed illum in recto, hoc aliud in obliquo (v. Los., *Log.*, tr. 5, dp. 2, c. 1 — tm. 3, p. 173).

**14.** Thesis 3.ª — **Veritas logica constituitur per actum et objectum.**

Probatur. — Veritas logica est conformitas actus cum objecto; atqui actum esse conformem objecto praeter actum (importatum in recto, ut est evidens) includit ipsum objectum in obliquo; ergo veritas logica constituitur per actum in recto, et per objectum in obliquo.

Prob. min. — Illud est, saltem in obliquo, constitutivum alicujus rei, quo *solo* deficiente illa res non daretur; atqui eo solo quod objectum non esset *ut reprae-*

(1) Praescindimus ab opinione reponente veritatem logicam (sicut omnes relationes praedicamentales) in entitate modali actui (subjecto) affixa, de qua in Ontologia agemus (n. 32 et seq.).

*sentatur*, non daretur conformitas actus cum objecto; ergo haec conformitas constituitur saltem in obliquo per objectum. Porro hoc non importari in recto est evidens, siquidem hic terminus *conformitas actus cum objecto*, non applicatur illi, ne partialiter quidem.

Ultimam majorem negant plures, qui antiquitus *connotatores* vocabantur, eo quod ab ipsis *connotata* nominentur illa, quae pro nobis sunt constitutiva de obliquo. Juxta modum loquendi horum auctorum potest aliqua res deficere, quin deficiat ullum ex suis constitutivis, per solum defectum connotati; sed hoc videtur pugnare omnino cum illo principio *impossibile est idem simul esse et non esse;* si enim nihil deficit ex essentia et quidditate rei A, non potest ipsa non dari, quae est sua ipsius quidditas et nihil ultra; vel si non datur, sequitur eam simul esse et non esse.

**15. Notanda.** — 1.m Ex dictis patet, etiam per objectum constitui veritatem formalem actus necessario veri, sive haec necessitas habeatur propter solam naturam objecti, sive ex sola perfectione ipsius actus, sive ex utroque capite (ut accidit in visione beatorum de existentia Sanctissimae Trinitatis). Haec necessitas, quum habetur ex perfectione actus (sive objectum sit in se necessarium, sive non), vocatur veritas *radicalis*, scilicet, non tam veritas, quam *exigentia* veritatis (alio nomine *certitudo formalis*, de qua postea). — 2.m Quae dicta sunt de veritate, intelligenda sunt proportionaliter de falsitate, scilicet, hanc constitui per objectum *prout non ita se habens sicut enuntiatur;* hoc autem est constitui vel per carentiam objecti (in quocumque consistat carentia), vel per aliquid, se tenens ex parte objecti, incompossibile cum conformitate inter actum et objectum. Exemplo sit falsitas istorum actuum: *Antichristus existit*, vel *homo est leo*.—3.m Omnia quae hucusque diximus procedunt de enuntiationibus affirmativis, quia de his in praesenti disputant omnes; quod si de negativis loquamur, veritas constitui debet per carentiam objecti, falsitas autem per objectum; ut conside-

ranti patebit.—4.m Si quando actus identificatur cum objecto, sicut accidit in scientia Dei prout seipsum contemplantis, extra dubium est veritatem formalem adaequate identificari cum actu. — 5.m Aliquando una res omnino pendet ab alia, per quam non constituitur, et ideo ex illius defectu etiam ipsa deficere debet (ut dicitur, *per locum extrinsecum*, *argüitive*, vel *mediate*). Sic, visio mea de cursu Petri (certe, per hunc non constituta) debet deficere illo deficiente; sed in hoc casu cursus Petri non est sola entitas, quae deficit, siquidem deficit etiam ipsa entitas visionis; secus dici deberet objectum constituere visionem, sicut constituit ejus veritatem formalem.

## OBJECTIONES

**16. Contra thesim 1.m — Objectio 1.a** — Veritas logica perfecte invenitur in actu habente perfectam conformitatem cum objecto; atqui apprehensio abstractiva habet perfectam conformitatem cum suo objecto; ergo veritas logica perfecte invenitur in apprehensione abstractiva.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: invenitur *perfecte*, id est, cum tota perfectione *quam explicite exigit definitio* ipsius, CONC.; cum tota perfectione *ipsi consentanea*, NEGO. — CONC. MIN. — Et DIST. CONSQS. sicut majorem. — Ad intelligendam solutionem datam sufficit habere prae oculis illa quae dicta sunt in expositione quaestionis et in probatione theseos.

**17. Objectio 2.a** — In eo actu mentis perfecte datur veritas, in quo nequit dari falsitas; atqui in apprehensione abstractiva nequit dari falsitas; ergo in ipsa perfecte datur veritas.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: si insuper haberetur in illo clara cognitio et affirmatio veritatis, CONC.; secus, NEGO. — Praescindendo ab eo quod judicia in quibus veritas logica perfecte invenitur, excludere debeant

(saltem moraliter) possibilitatem erroris; animadvertendum est in omni judicio vero duas includi apprehensiones sua veritate merae repraesentationis gaudentes.

**18. Contra thesim 2.m — Objectio.** — Omne judicium verum, quamvis opinativum sit, est physica perfectio intellectus; siquidem hic etiam judicia opinativa vera innate appetit prae falsis. Ergo omne judicium verum veritate gaudet essentialiter.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: est physica perfectio *formaliter*, NEGO; *argütitive*, *causaliter* et *moraliter*, CONC.— Actus opinativus, v. gr., *Petrus currit*, non magis perficit intellectum physice et formaliter dum est verus, quam dum est falsus. Potest tamen judicium opinativum *verum* perfectio intellectus dici prae falso: tum *argütitive*, seu quatenus regulariter supponit acumen intellectus, et prudentiam in judicando de rebus contingentibus; tum *causaliter*, seu quatenus ex conformitate judiciorum cum rebus, plura derivantur humanae vitae commoda, et plura mala vitantur. Et ideo veritas hujusmodi actuum etiam dici potest perfectio *moraliter*, quia in aestimatione prudentum melius se habet intellectus cum actu vero, quam cum falso.

**19. Contra thesim 3.m — Objectio 1.a** — Si veritas logica consistit in actu et objecto, denominabit utrumque logice verum; atqui objectum nequit dici logice verum; ergo veritas logica non consistit in actu et objecto.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: si consisteret aequaliter in actu et objecto, CONC. (sed nego suppositum); si importat actum in recto et objectum in obliquo, NEGO. — Esse logice verum, non est esse conforme *utcumque*, sed esse conforme *per modum imaginis intentionalis*. Ideo veritas logica definitur conformitas actus cum objecto, non autem conformitas objecti cum actu.

**20. Objectio 2.a** — Objectum dicitur mensura veritatis logicae; atqui mensura a mensurato distinguitur;

ergo objectum distinguitur a veritate logica, ac proinde illam non constituit.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: mensura sensu stricto, NEGO; sensu lato, CONC. — CONTRADIST. MIN.: mensura stricte talis, CONC.; late talis, SUBDIST.: saltem inadaequate, CONC.; semper adaequate, NEGO. — Nihil impedit quominus mensura late talis identificetur inadaequate cum mensurato. Sic anima humana est mensura perfectionis substantialis hominis, et in ordine logico differentia specifica est mensura perfectionis speciei.

**21. Objectio 3.**[a] — Si veritas constituitur per objectum, plura sequuntur absurda: 1.[m], quod veritas divinae scientiae de peccato, utpote constituta per hoc, erit moraliter mala, quia, ut aiunt, *malum ex quocumque defectu;* 2.[m], quod veritas cognitionis meae de scientia Dei erit simpliciter infinita, et prorsus aequalis veritati scientiae divinae de cognitione mea; 3.[m], quod veritas hujus actus *hircocervus est chimaera* (1), erit veritas impossibilis et chimaerica, sicut objectum quo constituitur; 4.[m], quod poterit aliquid de praesenti existere, non existentibus omnibus ejus constitutivis, v. gr., veritas hujus actus *Troja fuit.*

RESPONSIO. — NEGO ASSERTUM; et omissa retorsione, quae facile fieri posset in concreto *cognitum*, quod certe constituitur per objectum et actum, dico AD 1.[m]: veritas divinae scientiae de peccato non est moraliter mala quoad rectum, ac proinde nec simpliciter loquendo, quia veritas propositionis affirmativae exigit adaequatam identitatem realem inter rectum subjecti et rectum praedicati; ad summum dici poterit moraliter mala *quoad obliquum.* Illud autem proloquium *malum ex quocumque defectu*, intelligendum est de defectu alicujus circumstantiae, vel partis, ex his quas res habere debet.

Aliqui insistunt dicentes Deum *amare* illam veritatem, sed in hoc nulla est difficultas, siquidem illa ve-

(1) Hoc nomine designatur res contradictionem importans.

ritas amatur, eo solo quod ametur actus importatus in recto ab ipsa.

Ad 2.m: veritas cognitionis meae de scientia Dei importat in recto solam cognitionem meam, et ideo non potest dici infinita, sicut *dives* non potest dici *metallicus*, nisi addatur *quoad obliquum*. Atque haec veritas longe differt a veritate scientiae divinae de cognitione mea, nam veritas hujus scientiae habet rectum infinitum.

Ad 3.m: veritas logica non constituitur praecise per objectum *ut existens*, sed per illud *ut se habens sicut repraesentatur*. Proinde veritas actus dicentis *hircocervus est chimaera* potest dari, quamvis existentia hircocervi sit impossibilis.

Si vero dicitur *chimaericum esse illud, quod constituitur per chimaeram;* DIST. ASSERTUM: si constituitur per chimaeram acceptam in esse entis, CONC,; si constituitur per ipsam acceptam in esse verificativi, NEGO. — Sufficienter constat ex dictis, chimaeram posse esse verificativum actus, eo solo quod sit chimaera, ut actus exprimit.

Ad 4.m: veritas propositionis *Troja fuit* (vel cujuslibet habentis objectum praeteritum, futurum, pure possibile vel chimaericum) non existit tota *physice* quando existit actus; sed dicitur existere tota *moraliter*, seu in aestimatione hominum, quatenus objectum ejus perinde ipsi correspondet, ac objectum physice existens propositioni de praesenti; et idcirco quantum ad munus verificandi se habet in aestimatione prudentum quasi praesens, quod est morali modo nunc existere. Idem accidit in denominatione *prioris* aut *posterioris temporaliter*, v. gr., quum Petrus dicitur posterior Adamo vel prior Antichristo, et in aliis multis.

**22. Objectio 4.a**—Ita se habet veritas ad intellectum sicut bonitas ad voluntatem; atqui bonitas actuum voluntatis non constituitur per objectum; ergo nec veritas actuum intellectus per objectum constituitur. Ideo Deus dicitur ipsa veritas, sicut ipsa Bonitas.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: ita se habet in aliquibus, CONC.; in omnibus, NEGO. — Ratio cur bonitas actuum voluntatis non constituitur per objectum, est quia ut hi actus sint boni non debent esse objecto conformes per modum imaginis intentionalis, sed tendere in illud prosecutive vel aversive juxta meritum ipsius; tendentia autem sive prosecutiva sive aversiva adaequate identificatur cum actu voluntatis, sicut tendentia judicativa cum actu intellectus.

Ad illud quod additur, respondeo Deum dici ipsam veritatem, quia per suam essentiam est infinite *verax* et infinitam habet veritatem *radicalem*, non eo quod secum identificet adaequate veritatem *logicam* omnium suarum cognitionum.

**23. Objectio 5.ª** — Saltem actus ab intrinseco verus, v. gr., judicium elicitum ex motivo infallibili clare cognito, secum adaequate identificat veritatem logicam formalem; quia per id constituitur formaliter verus, per quod repugnat falsitati formali, huic autem repugnat per suam solam entitatem.

RESPONSIO. — NEGO ASSERTUM. — Ad probationem, DIST. MAJ.: per quod repugnat falsitati immediate et formaliter, CONC.; per quod repugnat falsitati solum mediate et radicaliter, NEGO. — Sic homo, v. gr., per suam essentiam repugnat *radicaliter* frigori, non tamen constituitur *formaliter* calidus per suam essentiam, sed per calorem qui ex illa provenit.

**24. Objectio 6.ª** — Hic actus, *lapis existit*, per se ipsum repraesentat objectum sicuti est, quin ad hoc ab objecto juvetur; ergo talis actus per se ipsum et non per objectum constituitur formaliter verus.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: addito vel praesupposito quod objectum sit illo modo quo per actum repraesentatur, CONC.; secus, NEGO. — Hoc totum «*repraesentare objectum sicuti est*» non importat solam repraesentationem, sed insuper addit vel praesupponit correspondentiam objecti secundum suum esse physicum. Et hinc sequitur objectum juvare actum, sin minus ad

repraesentandum, saltem ad reddendam veram ejus repraesentationem; constituendo, scilicet, conformitatem repraesentationis, non *ut quod*, sed *ut quo*.

## ARTICULUS II

### DE CERTITUDINIS NATURA

**25. De statibus mentis in ordine ad veritatem.** — Mens in ordine ad veritatem versari potest in statu IGNORANTIAE, DUBII, OPINIONIS vel CERTITUDINIS. In statu ignorantiae mens *nihil scit de objecto*. In statu dubii, *non audet affirmare vel negare de subjecto aliquod praedicatum*, scilicet, *suspendit judicium*. Haec suspensio potest esse vel ob defectum rationum, vel eo quod habeantur aequalis ponderis pro utraque parte: in primo casu dubium est *negativum*, in altero autem *positivum*. In statu opinionis, mens *affirmat aut negat, sed cum formidine errandi* (1). Tandem, in statu certitudinis mens *affirmat aut negat sine formidine errandi*. Certitudo mentis, igitur, consistit *in adhaesione ad judicium efformatum excludente formidinem errandi*.

**26. Declaratio notionis certitudinis.** — I. Certitudo mentis supponit aliquod elementum objectivum, consistens *in rationibus quae ipsam determinant*. Hae rationes, seu motiva, ostendere debent dari in objecto veram *necessitatem* (absolutam vel hypotheticam) *merendi* (saltem hic et nunc) *praedicatum quod ipsi attribuimus*. Haec necessitas objecti, ut ita sit, vel inveniatur, sicut asserimus (quae logice prior est certitudine mentis), recte vocari potest CERTITUDO OBJECTIVA; quamvis aliqui auctores non admittant ut objecta denominentur *certa*, nisi ratione certitudinis quam mens circa ipsa habeat.

II. Judicium innixum rationibus, seu motivis, in-

(1) Interdum status opinionis vocatur etiam *dubii*, per oppositionem ad statum certitudinis.

ferentibus vel supponentibus in objecto veram necessitatem merendi praedicatum, habet etiam *intrinsecam necessitatem essendi verum*, seu CERTITUDINEM FORMALEM. Ex dictis apparet, quod certitudo formalis praesupponit certitudinem objectivam; quamvis nomen certitudinis prius datum sit judiciis, quam objectis aut motivis.

III. Adhaesio mentis ad suum judicium, de qua loquuti sumus antea, vocatur CERTITUDO SUBJECTIVA (1). In ipsa distingui debent duo elementa: POSITIVUM et NEGATIVUM. Primum consistit in *firmitate mentis in retinendo suum judicium*, alterum in *exclusione formidinis errandi*. Ut videtur, huic adhaesioni mentis ad suum judicium primitus datum est nomen certitudinis.

IV. AD CERTITUDINEM SUBJECTIVAM, PROPRIE TALEM, PRAESUPPONITUR OBJECTIVA ET FORMALIS. Etenim tantum meretur firmam mentis adhaesionem judicium habens certitudinem formalem, ac proinde innixum in certitudine objectiva.

V. MENS AMITTIT SUAM CERTITUDINEM SUBJECTIVAM, seu firmam ADHAESIONEM AD SUUM JUDICIUM, SI CONSENTIT IN FORMIDINEM ERRANDI; ut videtur omnino clarum. Etiam clarum est quod JUDICIUM FORMALITER CERTUM NON POTEST AMITTERE CERTITUDINEM FORMALEM QUIN DESINAT EXISTERE; ac proinde timor subjecti (et similiter voluntas) tantum impedire vel destruere potest certitudinem formalem alicujus actus, in quantum impediat ipsam existentiam ejus.

**27. Divisiones certitudinis.** — I. Certitudo objectiva (consistens in motivo, quo judicium certum de aliqua re haberi *potest)* dividitur in INTRINSECAM et EXTRINSECAM. Est intrinseca, si cum ipsa re, vel identificatur, vel natura sua connectitur; v. gr., motivum judicii dicentis *totum est majus sua parte*, vel judicii dicentis *tali die habebitur eclipsis*. Est extrinseca, si consistit in testimonio alicujus personae illam rem cognoscentis.

(1) Aliqui auctores hanc certitudinem non sufficienter distinguunt a certitudine ipsius judicii.

II. Certitudo INTRINSECA subdividitur in IMMEDIATAM et MEDIATAM, prout fuerint judicia, quae efformare permittit (Dial. n. 41, 3.°). Certitudo extrinseca subdividitur in DIVINAM et HUMANAM, prout motivum assensus sit auctoritas Dei vel alicujus meri hominis.

III. Etiam dividitur certitudo in METAPHYSICAM, PHYSICAM et MORALEM.

Certitudo metaphysica fundatur in principio contradictionis, et *habetur quum oppositum rei assertae, saltem stante motivo, aliquid contradictorium afferret*; v. gr., certitudo qua *homo est animal, — mortui resurgent* (sicut Deus revelavit), — *ego cogitans, existo.*

Certitudo physica fundatur in fixitate legum physicarum (1), et *habetur quum oppositum rei assertae, saltem stante motivo, aliquid legibus physicis contrarium afferret;* v. gr., certitudo qua *sol orietur cras tali hora*, vel *existit liber, quem coram me positum apprehendo.*

Certitudo moralis fundatur in quolibet motivo juxta aestimationem prudentiorum virorum sufficienti ad asserendam rem sine ulla formidine errandi, et praecipue *habetur quum oppositum rei assertae, saltem stante motivo, aliquid afferret valde contrarium modo humano agendi, vel magnam exigens multitudinem circumstantiarum apte in ipsum conspirantium;* v. gr., certitudo qua *hic cibus mihi a viro probo oblatus nullum continet venenum, — characteribus typographicis casu conjunctis non efformabitur ullum poëma, — uniformis relatio plurium testium diversae aetatis, conditionis, etc., vera est.*

IV. Quum certitudo moralis nitatur in motivo multos gradus admittente quoad vim reddendi imprudentem timorem de opposito; dicitur dari certitudinem moralem *latam* quum hic timor non esset omnino imprudens, et *strictissimam* quum timor imprudentissimus et irridendus apparet. Quod si timor non videtur

(1) Leges physicae sunt illae determinationes, quas res libertate carentes habent et nullum agens corporeum frustrare potest, ad tales effectus in talibus adjunctis producendos (v. Dial. n. 111).

speculative omnino imprudens, sed quoad praxim contemnendus est, habetur certitudo moralis *practica*.

V. Certitudo subjectiva dividitur in NATURALEM *seu* SPONTANEAM, et PHILOSOPHICAM *seu* REFLEXAM. Prior est *adhaesio mentis ad suum judicium praestita ex impulsu naturae sine examine motivorum;* altera *habetur eo quod constet dari motivum legitimum ad ipsam.*

Certitudo naturalis potest esse legitima etiam in illo, qui rationem ejus reddere nequeat.

**28. Notanda.** — 1.m CERTITUDO PHYSICA ET MORALIS NON SUNT EX SE ABSOLUTE INFALLIBILES. Quia oppositum rei assertae, etiam stante motivo, non est absolute impossibile. — 2.m CERTITUDO PHYSICA CESSAT QUUM HABERI POTEST PRUDENS SUSPICIO DE MIRACULO. Siquidem in hoc casu nullum valorem habet fixitas legum naturae. — 3.m Motiva quae praebent certitudinem metaphysicam, si clare cognoscuntur, non modo excludunt consensum in formidinem errandi, verum etiam ipsam tentationem de formidine; quae praebent certitudinem physicam vel moralem tantum excludunt ex se formidinem prudentem, non vero imprudentem.—4.m Quum motivum certitudinis, vel natura sua, vel eo quod non satis perfecte cognoscatur, timorem imprudentem permittitt; immediate pendet a voluntate habere, vel non, certitudinem subjectivam et actum formaliter certum. 5.m Res, quae (saltem stante motivo) asseri potest sine prudenti formidine errandi, prudenter habetur *ut necessaria*, siquidem non potest, juxta leges prudenter judicandi, aliter se habere; et ideo *moraliter necessaria* dicitur, sicut ejus oppositum *moraliter impossibile.*

**29.** THESIS 1.a — **Certitudo quoad elementum negativum consistit in indivisibili, seu gradus non admittit; secus vero quoad elementum positivum.**

1.a PARS. — PROBATUR.—Elementum negativum certitudinis (proprium subjectivae) consistit in actuali exclusione formidinis errandi, ita ut si timor aliquis admittatur, cesset certitudo subjectiva; ideoque exclusio

haec non admittit gradus. Possunt tamen dari gradus in *tentationibus* formidinis.

2.ª PARS. — PROBATUR. — Adhaesio mentis ad suum judicium (si rationabilis est), et hujus intrinseca repugnantia cum falsitate, proportionem servare debet cum motivis unde procedit, sicut omnis effectus proportionari debet suae causae; atqui motivum est praestantius in certitudine metaphysica, quam in physica, et in hac (saltem generaliter loquendo) quam in morali; siquidem motivum primae absolute infallibile est, motivum secundae fallere potest in casu miraculi, et motivum tertiae plerumque ex sola libertate hominis; ergo elementum positivum certitudinis admittit gradus.

**30. Quaestio circa certitudinem physicam et moralem.** — Nemo negat certitudines physicam et moralem (ex se) inferiores esse metaphysica certitudine; sed quidam recentiores asserunt eas non esse veri nominis certitudines, et, nisi reducantur ad metaphysicam *hypotheticam*, intra limites maximae probabilitatis contineri. In hac quaestione, quae fere tota de voce est (siquidem plerique auctores has certitudines propugnantes, concedere solent, et non immerito, eas cum metaphysica non univoce convenire in ratione certitudinis), standum censemus sensui communi.

**31.** THESIS 2.ª — **Merito admittitur certitudo physica et moralis.**

PROBATUR. — Merito admittitur dari veram certitudinem, quum habetur judicium ex se repugnans falsitati et prudens exclusio omnis formidinis errandi; atqui quum datur et cognoscitur necessitas physica vel moralis alicujus rei, habetur circa illam rem, judicium ex se repugnans falsitati et prudens exclusio omnis timoris errandi, ut videtur evidens; ergo merito admittitur vera certitudo physica et moralis.

**31. De probabilitate.** — I. Sicut certitudo objectiva, mediate vel immediate cognita, est motivum et fundamentum certitudinis subjectivae et formalis, ita *probabilitas objectiva* est motivum et fundamentum status

opinionis et judicii opinativi; quia, ut diximus, in hoc statu mens judicium emittit, quod non faceret nisi motiva haberet, sed illud emittit cum timore errandi, quia illae rationes tantum sunt probabiles. Itaque probabilitas objectiva definiri potest: *sufficientia motivorum ut mens judicium emittat, etsi cum prudenti formidine errandi.* Probabilitas alicujus opinionis, seu rei opinabilis, constare potest cognitione propria vel testimonio alieno, et consequenter potest esse *intrinseca* vel *extrinseca.*

II. PROBABILITAS ADMITTIT GRADUS. Quia motiva possunt esse potiora vel debiliora, et hinc sequitur probabilitatem esse majorem vel minorem. Hac ratione opinio potest esse *probabilissima*, *probabilior*, vel simpliciter *probabilis.* Aliquando probabilitas valde magna vocatur *certitudo moralis*, ut jam diximus.

III. PROBABILITAS UNIUS OPINIONIS NON DESTRUIT PROBABILITATEM CONTRARIAE. Quia ad hoc requireretur ut motiva prioris redderent improbabilia motiva alterius, quod accidere nequit, quin illa motiva sint certa; secus enim pro utraque parte datur locus timori errandi.

IV. CERTITUDO OBJECTIVA, GENERALITER LOQUENDO, NON CONSISTIT IN SUMMA SEU COLLECTIONE PROBABILITATUM, ut volunt Condorcet et La-Place; vel aliis verbis, *probabilitas non est fractio seu pars certitudinis.* Quia, motiva certitudinem metaphysicam et physicam praebentia, atque plura ex praebentibus certitudinem moralem, dividi nequeunt in motiva separatim probabilia.

## OBJECTIONES

**33. Contra thesim 2.$^{m}$ — Objectio 1.$^{a}$** — Non habetur veri nominis certitudo sine exclusione formidinis errandi, saltem prudentis; atqui necessitas physica vel moralis alicujus rei non excludit formidinem prudentem errandi; ergo certitudo physica et moralis non sunt veri nominis certitudines. — PROB. MIN. Prudens

formido errandi non excluditur, nisi quum datur et cognoscitur impossibilitas oppositi; atqui necessitas physica vel moralis alicujus rei, non reddit impossibile oppositum; ergo necessitas physica vel moralis non excludit formidinem prudentem errandi.

RESPONSIO. — NEGO MIN. — Ad probationem, DIST. MAJ.: quum datur et cognoscitur impossibilitas vel metaphysica, vel physica, vel moralis, CONC.; praecise metaphysica, NEGO. — Etiam DIST. MIN.: non reddit impossibile metaphysice, CONC.; physice vel moraliter, NEGO. — His positis, NEGO CONSQM.

**Instantia.** — Necessitas moralis tantum reddit oppositum valde difficile; atqui difficultas, quantumvis magna, non est impossibilitas; ergo necessitas moralis non reddit oppositum impossibile.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: valde difficile *moraliter* (juxta leges prudenter judicandi), NEGO; absolute loquendo, TRANS. — Eadem res nequit simul esse eodem sensu difficilis et impossibilis; sed potest esse uno sensu impossibilis et alio sensu non tantum difficilis, verum etiam facilis. Ita esset, v. gr., mendacium sine ulla causa in viro gravi.

**Instantia.** — Nequit assignari punctum in quo fiat transitus a magna probabilitate ad certitudinem moralem; ergo haec non est nisi maxima probabilitas.

RESPONSIO. — Neque punctum assignari potest in quo fiat transitus a juventute ad senectutem, et tamen juventus et senectus non sunt idem.

**34. Objectio 2.ª**—Fixitas legum physicarum nullam certitudinem praebere potest, nisi constet de non derogatione in casu; atqui si hoc constat, habetur certitudo metaphysica; ergo certitudo mere physica non datur.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: nisi constet *positive*, NEGO; nisi constet *negative*, CONC. — Ad certitudinem physicam sufficit nullam haberi rationem prudentem suspicandi derogationem.

**35. Objectio 3.ª** — Iudicium quo dicitur, v. gr., *sol orietur cras tali hora*, vel habet sensum hypotheticum,

scilicet, *nisi fiat miraculum*, vel sensum absolutum: in primo casu habet certitudinem metaphysicam; in secundo, est judicium imprudens, quia affirmat plus quam scitur; ergo certitudo mere physica admitti nequit.

RESPONSIO. — Judicium illud habet sensum absolutum; nego tamen illud esse imprudens. — Rationem additam DIST.: affirmat plus quam scitur *metaphysice*, CONC.; plus quam scitur *physice*, NEGO.

# CAPUT II

## DE EXISTENTIA LEGITIMAE CERTITUDINIS ET DE EJUS CRITERIO

**36. Status quaestionis et divisio capitis.** — Hucusque supposuimus cognitiones nostras (exceptis casibus illusionis) esse veras, seu conformes rebus a se distinctis, ut omnes homines sua sponte credunt; sed jam inquirendum est utrum in ipsis hujusmodi valor objectivus re vera habeatur, et hoc nobis certo constare possit.

I. Pyrrho (m. — 275), cujus discipuli se ipsos *scepticos* vocabant (a verbo *sceptomai*, inquiro, considero), asseruit de nulla re judicium certum proferri posse. Hunc scepticismum, qui post Sextum Empiricum (m. saec. 2) evanuerat, renovavit Montaigne (m. 1593) et post ipsum Bayle (m. 1706).

Descartes (m. 1650) ad verum fundamentum certitudinis assignandum *dubitationem methodicam*, seu *criticam*, instituit, de qua postea agemus.

Saeculo 18, *crisi* instituta de valore nostrarum cognitionum, *phaenomenismum*, seu *idealismum criticum*, propugnarunt Berkeley (m. 1753), Hume (m. 1776) et potissimum Kant (m. 1804), dicentes nos de solis *apparentiis* rerum posse esse certos. Porro hic idealismus criticus conjungi potest cum *negatione existentiae*

rerum a cognitionibus distinctarum, et tunc habetur idealismus *metaphysicus;* vel cum *affirmatione incognoscibilitatis* earum rerum, et tunc habetur *agnosticismus*.

Saeculo 19, Comte (m. 1857) *positivismum* docuit, certitudinem admittens quoad facta sensibus externis percepta, eorumque leges, minime vero quoad rerum essentias, causas et fines. Postea vero Stuart Mill (m. 1873), Spencer (m. 1903) et alii *positivismum* cum *idealismo* conjunxerunt, admittentes certitudinem quoad sola facta interna.

Nostris diebus plures philosophi agnosticismo kantiano addicti, sed non audentes certitudinem circa veritates ordinis suprasensibilis et religiosi simpliciter tollere, suum magistrum imitantes, *fideismum* propugnant: dicunt, scilicet, judicia circa has veritates ex activitate quadam appetitiva, seu affectiva, modo inconscio promanare; et non assensu intellectus, sed quodam *sensu* (sentimiento), ab ipsis *fides* vocato, teneri. In hoc systemate (quod *immanentismus* vocatur, quatenus ex mera activitate vitali judicia illa oriri dicit), admittitur illas veritates pro variis temporibus, nationibus, vel individuis variabiles esse, ac proinde *relativas;* et contra ipsas intellectus nihil habere posse asseritur, quum ad suam sphaeram nullatenus pertineant. Hanc doctrinam defendunt Harnack, Balfour, Bergson, atque etiam omnes illi qui *modernistae* nominantur (1).

II. Nos ad tuendum valorem nostrarum cognitionum et legitimitatem certitudinis, sex articulis hoc caput dividemus: in 1.°, scepticismum pyrrhonicum refutabimus; in 2.°, dubitationem cartesianam rejiciemus, et tria postulata admittenda esse monstrabimus; in 3.°, idealismum kantianum refellemus; in 4.°, positive ostendemus dari legitimam certitudinem, ejusque criterium esse evidentiam; in 5.°, opiniones falsas circa

(1) Modernismus damnatus est in encyclica *Pascendi* (Den.-Ban. 2071-2119) anno 1907.

certitudinis criterium refutabimus; in 6.°, de vero valore sensus communis et consensus universalis agemus, atque causas errorum nostrorum declarabimus.

## ARTICULUS I

### REFUTATIO SCEPTICISMI VULGARIS

**37. Status quaestionis.** — Ut rite intelligantur probationes mox afferendae contra scepticismum et solutiones difficultatum, sequentia notanda sunt.

I. Sceptici non negant dari in omnibus hominibus certitudinem spontaneam (v. n. 27, V), sed negant hanc subsistere posse post examen motivorum.

II. Aliqui sceptici a dubitatione excipiunt quasdam veritates. Nos hic impugnandum suscipimus scepticismum universalem, vel saltem complectentem quidquid non est proprium EGO ejusque intimiores affectiones (1).

**38.** THESIS. — **Scepticismus vulgaris absurdus est.**

PROBATUR 1.° — Fundamentale assertum scepticismi est *nullius rei certitudinem philosophicam haberi posse*. Hoc supposito, sequens dilemma proponimus: qui hoc dicit, vel habet certitudinem philosophicam hujus asserti, vel non; si primum, jam est certus philosophice de aliqua re; si secundum, non habet jus asserendi illud. Ac proinde in neutro casu assertum ejus admitti potest. — Praeterea, qui affirmat se nihil scire et de omnibus dubitare, affirmat se cognoscere quid sit scire, quid nescire, quid sit dubium, quid certitudo; ergo scepticus de multis habet notitiam certam.

PROBATUR 2.° — Scepticus conatur suum systema

(1) Illi qui veram certitudinem admittunt, aliquando in oppositione ad sceptícos *dogmatici* vocantur; et dividuntur in *exaggeratos* et *moderatos*, prout certitudinem in omnibus cognitionibus sine examine admittant, vel de earum veracitate et limitibus examen instituant. Aliqui tamen solos exaggeratos vocare volunt *dogmaticos*, et moderatum dogmatismum *criticismum* appellant. Tunc autem criticismus potest esse sanus (scholasticus), vel non (kantianus).

aliis suadere; et quum, volens hoc facere, ratiocinatur circa naturam certitudinis et diversorum mediorum cognoscendi, non tantum supponit existere alios homines, verum etiam rationem suam in illis ratiociniis esse veracem; ac proinde sibimetipsi contradicit.

PROBATUR 3.° — Scepticus in modo practico se gerendi amplectitur certitudinem spontaneam, sicut alii homines, et ita, v. gr., fugiunt quum vident irruere supra se aliquod automobile, et porrigunt manum quum experiuntur famem et vident prope se aliquem panem, etc., etc.; ergo sceptici tam in ordine theorico quam in practico aperte contradicunt suis principiis.

## OBJECTIONES

**39. Objectio 1.ª** — Illud systema haberi debet ut verum, quod nos immunes reddit ab omni errore; atqui scepticismus hoc facit; ergo ut verus habendus est.

RESPONSIO. — TRANS. MAJ. (eam non concedo, quia supponit veritatem consistere in mera negatione erroris, quod est falsum). — NEGO MIN. — Ut ex modo dictis constat, scepticismus est error maximus omnium, seu cumulus contradictionum.

**40. Objectio 2.ª** — Mens, quum errat, vel cognoscit se errare, vel non: si primum, numquam erraret, quod tamen est contra experientiam; si secundum, semper timeri potest error; ergo semper dubitandum est.

RESPONSIO. — CONC. DISJUNCT. ET 2.ᵐ MEMBRUM, sed NEGO SEQUEL. ex ipso illatam, seu semper timendum esse errorem; hoc enim stultum est in rebus immediate vel mediate evidentibus (v. nn. 56-59).

**Instantia.** — Infallibilitas est propria Dei; ergo mens humana semper potest falli.

RESPONSIO. — Infallibilitas *absoluta* est propria Dei, CONC.; infallibilitas *relativa*, seu ad certas conditiones restricta, NEGO. — Etiam DIST. 1.ᵐ CONSQS.: semper potest falli, id est, in quolibet tempore potest habere

judicium falsum, CONC.; id est, nunquam constare potest in aliquo judicio determinato non falli, NEGO. — Infallibilitas, seu impossibilitas errandi, potest esse *absoluta* et *relativa*. Prima est propria Dei, cui absolute repugnat errare, eo ipso quod sit infinite sapiens; altera, ad determinatas conditiones restricta, convenire debet rationi humanae, quae rationis divinae participatio est; etenim ita repugnat ratio incapax veritatem agnoscendi, sicut lux illuminandi incapax.

**41. Objectio 3.ª** — Nihil admitti debet sine demonstratione; atqui legitimitas certitudinis demonstrari nequit sine petitione principii; ergo rejicienda est.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: nihil, quod non sit immediate evidens, CONC.; quamvis sit immediate evidens, NEGO. — Ut admittantur tamquam certae illae veritates quae gaudent evidentia immediata, est ratio sufficiens haec immediata evidentia. — Praeterea, argumentum retorqueri posset, siquidem scepticismus demonstrari nequit sine contradictione.

**42. Objectio 4.ª** — Scepticus sibi constans nequit admittere ullam rationem contra suum systema; ergo contra illum nihil valent argumenta, ac proinde refutari non potest.

RESPONSIO. — DIST. CONSQS.: nihil valent ut ille convincatur, CONC.; ut appareat absurditas illius systematis, praesertim aliis hominibus, NEGO. — Quamvis nullum suppetat medium convincendi scepticum mordicus recusantem certitudinem cujuslibet praemissae, argumenta adducta in thesi ostendunt omnem scepticum contradicere suo systemati dictis et factis.

## ARTICULUS II

### REFUTATIO DUBITATIONIS METHODICAE CARTESIANAE ET POSITIO TRIUM POSTULATORUM

**43. Expositio systematis.**— Descartes conatus est veram methodum philosophicam invenire atque ultimum certitudinis fundamentum statuere. Ad hoc autem: 1.° ut immunis fieret a quolibet praejudicio, voluit incipere de omnibus dubitando. Dubitavit, igitur, de existentia rerum omnium, quae ope sensuum cognoscuntur, atque etiam de omnibus veritatibus ordinis idealis, mathematicis non exclusis. Voluit insuper de propria existentia dubitare, sed non potuit, quia illam in ipsa sua cogitatione videbat. — 2.° Hac experientia motus, statuit tamquam fundamentum suae Philosophiae omnisque certitudinis hoc principium: *ego cogito, ergo sum*, quod juxta ipsum non est proprie ullum enthymema, sed mera expressio cujusdam *facti conscientiae*. — 3.° Considerans se non potuisse de propria existentia dubitare, quia illam in sua cogitatione clare videbat, hoc alterum principium enuntiavit: *illud quod clare apparet in idea alicujus rei, de ipsa affirmari debet*. — 4.° Hoc principio admisso, asseruit existentiam et veracitatem Dei, quae in ejus idea clare apparent, et ex veracitate Dei nostrarum facultatum veracitatem deduxit (v. praesertim *Discours de la Méth.)*.

**44.** THESIS 1.ª — **Absurdum est de omnibus serio dubitare velle.**

PROBATUR. — Absurdum est quod ad scepticismum absolutum ducit; atqui de omnibus serio dubitare velle ad scepticismum absolutum ducit; ergo absurdum est de omnibus serio dubitare velle.

PROB. MIN. 1.° — Posita hac seria et universali dubitatione, nulla veritas admitti potest, ne principium quidem *cogito, ergo sum;* etenim qui dubitat de princi-

pio contradictionis, quamvis in idea τοῦ *esse* clare appareat exclusio τοῦ *non-esse*, etiam dubitare debet de propria existentia, quantumvis clare appareat in propria cogitatione.

PROB. MIN. 2.° — Quia, ut constabit ex dicendis in thesibus sequentibus, etiam hoc principio admisso de nulla re externa certitudo obtineri potest.

**45.** THESIS 2.ª — **Principium «ego cogito, ergo sum» nequit esse primum principium philosophicum.**

PROBATUR. — Primum principium scientificum debet esse aliqua veritas aptitudinem habens ut ex illa aliae veritates inferantur vel probentur; atqui ex solo principio cartesiano «*cogito, ergo sum*» nulla veritas scientifica erui vel probari potest; ergo illud nequit esse primum principium philosophicum.

PROB. MINOR, 1.° — Juxta ipsum Descartes, cognita jam propria existentia, nulla alia veritas certo cognosci potest, quin prius cognoscantur existentia et veracitas Dei; atqui per solam existentiam propriam nequit cognosci existentia et veracitas Dei; ergo ex sola cognitione existentiae propriae nulla veritas erui aut probari potest.

PROB. MINOR, 2.° — Principium «*cogito, ergo sum*» duo tantum elementa includit: cogitationem et existentiam propriam. Porro cogitatio est mutabilis, contingens et singularis, siquidem nihil aliud est quam modificatio quaedam subjectiva; propria existentia similiter est singularis, contingens et mutabilis; atqui solae veritates contingentes non inserviunt ad inferendas vel probandas veritates necessarias, immutabiles et universales, ut sunt veritates scientificae; ergo ex solo principio cartesiano «*cogito, ergo sum*» nulla veritas scientifica erui aut probari potest (1).

**46.** THESIS 3.ª — **Mera claritas cognitionis non**

(1) Si ex mundi existentia infertur Deum existere, ideo est quia simul attenditur ad aliquod principium generale, v. gr., *nihil datur sine ratione sufficienti.*

**semper sufficit ad certitudinem realisticam habendam.**

PROBATUR. — Claritas cujusvis ideae universalis, v. gr., ideae *arbor*, se sola numquam dat certitudinem quoad judicia ordinis realis, siquidem illa idea dari potest nulla arbore existente. Claritas autem visionis ocularis, v. gr., et apprehensionis intellectualis illam comitantis, aeque datur si visio est normalis ac si est illusoria. Ergo mera claritas cognitionis non semper sufficit ad certitudinem realisticam habendam.

Antecedens constat experientia uniuscujusque, et magis declarabitur quum sermo sit de criterio et fontibus certitudinis.

**47.** THESIS 4.ª — **In methodo cartesiana neque admitti potest veracitas facultatum cognoscitivarum.**

PROBATUR — Ut saepe repetit Descartes (v. *Med. V.*, et *Princ. phil.*, p. 1, nn. 3-13) admitti nequit veracitas facultatum, quin prius certo cognoscantur existentia et veracitas Dei; atqui haec non possunt certo cognosci, quin praesupponatur veracitas facultatum; ergo in methodo cartesiana constare nequit de veracitate facultatum.

PROB. MIN. — Descartes affirmat existentiam Dei veracis: tum quia in idea entis perfecti clare continentur veracitas et existentia; tum quia idea talis entis, quam certe habemus, nequit esse a nobismetipsis vel ab alia re imperfecta. Atqui idea entis perfecti, quam in hoc mundo habemus, quum sit abstractiva et imperfectissima, non sufficit ut per eam solam nobis constet ens perfectum *existere;* et ratiocinio addito (in quo falso supponitur ideam nostram entis perfecti immediate postulare causam omniperfectam), vel cuilibet alteri, fidere non possumus, quin praesupponamus facultates nostras esse veraces. Ergo Deum existere et esse veracem constare nequit, quin praesupponatur veracitas facultatum.

Ideam, quam de Deo in hoc mundo habemus, tantum abstractive et imperfectissime illum exhibere, experientia constat; eam autem non immediate postulare cau-

sam omniperfectam, constabit ex dicendis in Ontologia (nn. 97 et 101) (1).

**48. De tribus postulatis necessariis.** — Ex dictis jam patet, tum esse practice impossibile dubitare de omnibus, tum dubitationem universalem, semel admissam, non posse logice deponi; sed hoc ipsum clarius evadet, si ostenditur dari tres veritates, quae sint praesupponendae, saltem implicite, semper ac aliqua demonstratio instituitur, et tamen nec possint negari vel in dubium revocari quin affirmentur. Hujusmodi veritates, quae aliunde evidentissimae sunt, vocari solent *postulata*.

**49.** THESIS 5.ª — **Tres dantur veritates, ad instituendam quamcumque demonstrationem praesupponendae tamquam postulata: existentia propria, possibilitas certo judicandi, principium contradictionis.**

Thesis habet duas partes: 1.ª has veritates praesupponendas esse ad quamcumque demonstrationem instituendam, unde sequitur non posse demonstrari sine petitione principii; 2.ª, non posse negari vel in dubium revocari quin implicite affirmentur (2).

PROB. 1.ª PARS.—Evidens est quod qui vult aliquam demonstrationem instituere supponit *se existere* et *posse certo judicare*, immo, et jam certo cognoscere quod *idem nequit simul esse et non esse;* secus enim frustra quaereret de aliqua re convinci (v. Ont., nn. 7, 8).

PROB. 2.ª PARS.—I. EXISTENTIA PROPRIA NEQUIT NEGARI AUT IN DUBIUM REVOCARI QUIN AFFIRMETUR. Quia, qui non existit, nihil potest negare aut aliud quid facere.

II. POSSIBILITAS CERTO JUDICANDI NON POTEST NEGARI AUT IN DUBIUM REVOCARI QUIN AFFIRMETUR. Nam qui negat, vel dubitat, certo cognoscit se negare, vel dubitare.

III. PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS NON POTEST NE-

(1) Vide etiam opus nostrum *Compendio de Filosofía escolástico-contemporánea*, t. 2, *Teod.*, nn. 8-13.

(2) Praedictae veritates nominari consueverunt PRIMUM FACTUM. — PRIMA CONDITIO. — PRIMUM PRINCIPIUM.

GARI AUT IN DUBIUM REVOCARI, QUIN AFFIRMETUR. Etenim, qui aliquam propositionem negat, vel de ipsa dubitat, certus est de eo quod non possint simul esse verae affirmatio et negatio ejusdem rei.

## ARTICULUS III

### REFUTATIO CRITICISMI KANTIANI

**50. Expositio systematis.** — I Juxta Kant, in cognitionibus nostris aliquod elementum datur quidem, quod rebus debetur, sed facultati tribuendum est quidquid in ipsis deprehenditur universalitate ac necessitate gaudens. Primum elementum denominatur empiricum et *a posteriori;* elementum vero ex facultate proveniens *forma a priori* vocatur. Hinc sequitur: nos non posse cognoscere res prout in se sunt *(noumena)*, sed solas earum apparentias *(phaenomena);* et crisim facultatum nostrarum faciendam esse modo *transcendentali*, seu unice inquirendo quaenam *formae a priori* propter subjectivam facultatum necessitatem in cognitionibus habeantur (1). Praecipua ejus opera sunt *Critica rationis purae* et *Critica rationis practicae*.

II. Processus cognoscitivus, juxta Kant, hic est: 1.°, objecta externa impressiones quasdam in sensibus nostris producunt; 2.°, impressionibus illis sensus externi *formam spatii* (extensionis), conscientia autem *formam temporis* (successionis), superponunt; 3.°, imaginatio addit aliquod *schema*, seu aliquam e duodecim *formis* propriis imaginationis (quae sunt quaedam inchoationes conceptuum fundamentalium); 4.°, prout fuerit schema, intellectus superimponit determinatam *categoriam*, seu unam e duodecim *formis* intellectualibus (2), et ita habetur conceptus (qui etiam *judicium*

(1) Ipse Kant dicit: «vox *transcendentale* semper significat relationem cognitionum non ad res ipsas, sed ad facultatem cognoscitivam».

(2) Tres ex illis respondent extensioni subjecti (totalitas, pluralitas,

vocatur) *syntheticus a priori;* 5.°, ratio pura elicit judicium *empiricum*, quod est explanatio conceptus, vel judicii, *synthetici a priori;* demum ipsa ratio pura ope trium idearum innatarum, scilicet *animae* propriae, *mundi* et *Dei* (quarum conformitas cum suis objectis a ratione pura, seu theoretica, ostendi nequit) omnia judicia alligat.

Notandum est insuper, veritatem logicam, juxta Kant, esse conformitatem judicii empirici cum synthetico *a priori*, et de hac sola conformitate nobis constare posse.

III. Videns se lapsum esse in scepticismum absolutum, conatus est Kant ab illo exire. Ut hoc consequeretur, asseruit rationem practicam (quae juxta ipsum non est nisi voluntas) impulsu caeco determinare assensum principiis moralibus, quae ab ipsa enuntiantur sub forma *imperativi categorici* (dicentis, v. gr.: *ita te gere, ut alii se accommodare possint actionibus tuis, tamquam legi universali).* Quum autem obligatio his imperativis categoricis imposita *postulet* libertatem voluntatis, immortalitatem animae (ut perfectio moralis, in hac vita impossibilis, in alia obtineatur) et existentiam Dei (qui possit felicitatem cum perfectione morali conjungere); Kant haec tria admittenda docuit tamquam *postulata rationis practicae* (1).

**51.** THESIS 1.ª — **Doctrina kantiana arbitraria et contradictoria est.**

PROBATUR. — Arbitrarium, immo et falsum est, tribuere facultati illud elementum cognitionum, quod universalitate gaudet; nam postea probabimus (n. 128) notiones universales in rebus dari, et praecisione detegi.

---

unitas); tres qualitati copulae (realitas, negatio, limitatio); tres relationi inter subjectum et praedicatum (inhaerentia seu substantia, causalitas seu dependentia, actio mutua); atque tres relationi judicii cum mente (possibilitas vel impossibilitas, actualitas vel non actualitas, necessitas vel contingentia).

(1) Hodierni fideistae et modernistae plures alias veritates ad ordinem religiosum pertinentes caeca adhaesione admittendas esse docent; easque dicunt *relativas*, seu mutabiles, esse.

Et contradictione laborat: negare ex una parte quod cognoscere possimus res et ipsam animam prout in se sunt; et ex alia asserere existentiam rerum externarum easque in sensus nostros agere, naturam facultatum cognoscitivarum et nostrarum cognitionum inquirire atque postulata ex imperativis categoricis eruere.

**52.** THESIS 2.ª — **Ratio practica kantiana est insufficiens ad vitandum scepticismum.**

PROBATUR. — Scepticismus proprie dictus non tollitur persuasionibus caecis, sed persuasionibus motivum habentibus, cujus legitimitas appareat; atqui, ut ipse Kant fatetur, assensus praestitus imperativis et postulatis suae rationis practicae non est nisi persuasio caeca, sine ullo motivo quod rationi purae legitimum apparere possit; ergo ratio practica est insufficiens ad vitandum scepticismum.

## ARTICULUS IV

### POSITIVE OSTENDITUR DARI LEGITIMAM CERTITUDINEM EJUSQUE CRITERIUM ESSE EVIDENTIAM

**53. Status quaestionis.** — Ex doctrina in toto hoc capite tradita clare infertur, nihil aliud, ad legitimitatem certitudinis tuendam, philosophum debere aut posse facere, quam motiva spontaneae certitudinis in examen revocando, ostendere illa motiva, saltem in multis casibus plenam intellectus adhaesionem toto jure me reri; atque criterium designare, quo in singulis casibus cognosci possit utrum illa talem adhaesionem mereantur, necne. Ad hoc autem faciendum (quo omnes hodiernae doctrinae idealismum criticum profitentes sufficienter refutatae manebunt), prius declarare oportet quid sit intellectus, quid criterium, quid demum evidentia.

**54. Quid sit intellectus.** — I. Intellectus est *facultas qua efformamus notiones seu apprehensiones univer-*

*sales*, *judicia et ratiocinia*. Notio universalis illa est *quae convenit separatim diversis individuis sensu univoco*, v. gr., *homo*, *leo*. Judicium est *actus quo affirmamus vel negamus aliquod praedicatum de aliquo subjecto;* et potest esse *immediatum* vel *mediatum*, prout convenientia inter subjectum et praedicatum detegatur sola comparatione ipsorum, vel ope alicujus ratiocinii, seu *illam inferendo ex aliis judiciis* praehabitis. Intellectus vocari solet *intelligentia* quatenus cognoscit veritates immediatas, seu efformat judicia immediata *universalia*, v. gr., *totum est majus una e suis partibus;* accipit autem nomen *rationis* quatenus per discursum cognoscit veritates mediatas, v. gr., *tres anguli ejusdem trianguli aequivalent duobus rectis*. Intelligentiam et rationem non esse duas facultates distinctas, sed unum eumdemque intellectum, a nemine dubitatur.

II. Objectum notionis universalis (v. gr., *homo* in genere), ut experientia patet, non manifestatur intellectui *tamquam existens*, sed ut aliquid *aptum existere;* et consequenter judicium, cujus termini sunt universales (v. gr., *homo est animal)* non significat subjectum *de facto existere* ET *esse* illud quod dicitur in praedicato, sed quod *si* subjectum *existeret*, *deberet esse* illud quod de eodem affirmatur. Ideo veritates objectivae, quae hujusmodi judiciis exprimuntur, pertinent, ut dicitur, ad ordinem IDEALEM.

**55. Quid sit criterium.** — I. Juxta ejus etymologiam (ex graeco *crino)*, VOX CRITERIUM applicari potest cuilibet rei quae inserviat ad ferendum judicium vel discernendum in qualibet materia, sed apud logicos illa voce praecipue significatur *nota seu tessera qua discerni possint cognitiones naturales certae*, seu merentes plenam adhaesionem mentis. Dicimus *cognitiones naturales*, quia non spectat ad Philosophiam agere de actibus supernaturalibus, quibus amplectimur veritates Fidei.

II. Criterium potest esse GENERALE vel PARTICULARE. Hoc secundum inservit tantum pro determinata specie

veritatum; illud primum, pro omnibus. Considerari solent tamquam criteria particularia singulae facultates cognoscitivae atque auctoritas alieni testimonii (positis debitis conditionibus), eo quod praebent certitudinem in cognitione aliquarum veritatum.

III. Criterium, quod nullum aliud supponit, vocatur ULTIMUM seu SUPREMUM; secus est PROXIMUM (vel forte INTERMEDIUM). Ut videbimus, evidentia est criterium ultimum et generale certitudinis.

IV. Criterium, quod quaerimus, non est *veritatis* seu cognitionis *verae*, sed *certitudinis* seu cognitionis CERTAE; siquidem nemo dubitat plura judicia nostra esse vera, quin hoc nobis constare possit, eo quod in pluribus rebus solam probabilitatem assequi valemus.

**56. Quid sit evidentia.** — I. Denominatio EVIDENTIS tribuitur quibusdam actibus cognoscitivis et quibusdam objectis seu rebus cognitis: ita dicimus evidentem esse *apprehensionem solis tamquam existentis*, *actum affirmantem «sol existit»*, atque etiam *existentiam solis*, seu *convenientiam existentiae soli*. Hinc sequitur, evidentiam inveniri non solum *in actu cognoscitivo clare proponente convenientiam alicujus praedicati alicui subjecto*, sed etiam *in hac convenientia clare cognita*. Datur, ergo, duplex classis evidentiae seu claritatis in ordine logico: altera SUBJECTIVA *seu* FORMALIS, altera OBJECTIVA. Ut declaretur in quo consistit haec ultima, oportet eam comparare cum claritate objecti visibilis.

II. Ut aliquod objectum clare videri possit, requiritur: 1.°, quod sint proportionatae facultati nostrae visivae magnitudo et distantia objecti, atque lux qua perfunditur; 2.°, quod lux ab ipso procedens perveniat modo apto ad oculos nostros. Censemus esse superfluum amplius declarare sive necessitatem harum duarum conditionum ad hoc ut videre clare possimus aliquod objectum, sive sufficientiam ipsarum, si facultas nostra visiva recte se habet.

III. Transferendo has conditiones ordini intellectuali, facile capitur evidentiam exigere: 1.°, quod objectum (subjectum, praedicatum atque convenientiam utriusque) sit proportionatum capacitati nostrae intellectuali; et 2.°, quod apte proponatur seu manifestetur intellectui nostro. His duabus conditionibus suppositis intellectus non potest non clare cognoscere illam convenientiam objectivam, et consequenter illam fateri debet. Evidentia objectiva, igitur, est causa subjectivae, et haec non meretur vocari evidentia, nisi in objectiva fundetur.

**57. Divisiones evidentiae.** — I. Evidentia dividitur in IMMEDIATAM et MEDIATAM. Prima habetur *quum convenientia inter praedicatum et subjectum detegitur sola comparatione eorum*, secus evidentia est mediata. Sic, est immediate evidens quod *totum est majus una e suis partibus;* mediate vero quod *tres anguli ejusdem trianguli aequivalent duobus rectis.*

II. Dividitur etiam in INTRINSECAM et EXTRINSECAM *seu* TESTIMONII. Haec habetur quum convenientia inter praedicatum et subjectum cognoscitur testimonio evidente et evidenter fidedigno; illa prior, quum talis convenientia apparet immediate, vel demonstratione fundata in natura rerum, praesertim si demonstratio est directa. Ita, habemus evidentiam extrinsecam de *existentia Ciceronis*, et intrinsecam de *aequivalentia inter tres angulos ejusdem trianguli et duos rectos.*

III. Evidentia intrinseca dividitur in METAPHYSICAM, PHYSICAM et MORALEM, prout sit necessitas vel certitudo quae habetur vel agnoscitur in objecto. Sit exemplum primae: *non datur effectus sine causa;* secundae: *corpora sibi relicta in aëre, cadunt in terram;* tertiae: *mater diligit filios*, vel *characteres typographici casu conjuncti non efformabunt ullum poëma* (v. n. 27, III). Evidentia extrinseca est ex se moralis.

**58.** THESIS 1.ª — **Potest dari certitudo in judiciis ordinis idealis; ejus autem criterium est evidentia.**

PROBATUR. — Ut aliquod judicium ordinis idealis

sit certum, requiritur et sufficit quod clare cognoscatur (immediate vel mediate) dari convenientiam idealem inter subjectum et praedicatum; etenim sine hac clara cognitione nihil exigere potest quod judicium sit conforme suo objecto ideali, et e contra, hac clara cognitione supposita haec conformitas deesse nequit. Atqui saepe datur clara cognitio de convenientia ideali inter subjectum et praedicatum horum judiciorum. Ergo potest dari certitudo in judiciis ordinis idealis, ejusque criterium est **evidentia.**

Et re quidem vera valde scepticum debet esse, qui non agnoscat plenam adhaesionem mentis mereri judicium dicens, v. gr., quod *si* aliquod objectum reale *responderet* conceptui nostro *homo*, etiam responderet conceptui nostro *animal*.

**59.** THESIS 2.ª — **Etiam potest dari certitudo in judiciis ordinis realis, ejusque criterium est evidentia.**

PROBATUR. — Supposita certitudine ideali alicujus judicii, ut constet de veritate ejus in ordine reali, requiritur et sufficit quod habeatur certitudo de realitate et existentia subjecti. Atqui ex evidenti testimonio conscientiae et sensuum externorum saepe constare potest (immediate vel mediate), ut capite sequenti probabimus, esse reale et existens subjectum horum judiciorum. Ergo etiam dari potest certitudo in judiciis ordinis realis, ejusque criterium est evidentia.

**60.** THESIS 3.ª — **Evidentia est criterium generale et ultimum certitudinis in ordine naturali.**

PROBATUR. — Imprimis est criterium generale, siquidem ex dictis constat eam valere in qualibet materia ordinis naturalis, de quo solo philosophus agere debet. Etiam est criterium ultimum, nam se sola sufficit ut recta ratio nihil aliud quaerat ad praebendam plenam adhaesionem suo judicio, ut constat experientia, qua passim audimus asserere tamquam ultimum motivum assensus: *hoc est clarum — est evidens, — est clarius luce meridiana, — etc.*

**61. Notandum.** — Disputant auctores utrum crite-

rium certitudinis formaliter consistat in evidentia objectiva, vel in subjectiva (illam supponente); nobis videtur dicendum criterium esse objectivam, subjectivam vero tantum requiri instar conditionis.

## OBJECTIONES

**62. Objectio 1.ª** — Doctrina nostra de evidentia aequivalet re vera puro subjectivismo, siquidem tandem aliquando dicendum fatemur: *ita est, quia ita clare video.*

RESPONSIO. — NEGO ASSERTUM ET DIST. PROBAT.: quia video *rem ita esse, vel debere esse, et non aliter* (saltem hic et nunc), CONC.; tantum quia ita esse mihi clare repraesento, NEGO. — Quod nos docemus longissime distat a puro subjectivismo, siquidem iste, negata vel in dubium revocata objectivitate cognitionum, nullum aliud criterium admittit quam proprium EGO et propriam cogitationem; nobis autem norma et mensura veritatis est evidentia ipsius rei vel rationum objectivarum, quibus movemur; ita ut evidentia subjectiva, ex objectiva proveniens, tantum sit conditio necessaria.

**63. Objectio 2.ª** — Multi in errorem labuntur, qui tamen affirmant se habere evidentiam rei: ergo evidentia non est criterium sufficiens.

RESPONSIO. — DIST ANTEC.: illi habent evidentiam pure subjectivam, TRANS.; objectivam (vel subjectivam in objectiva fundatam), NEGO.—Similiter DIST. CONSQS. — Ad dignoscendum an reapse detur evidentia objectiva, sufficit bene attendere.

**Instantia.** — Tobiae cum Raphaële loquenti objective evidens erat se videre et alloqui juvenem quemdam; atqui hoc erat falsum; ergo evidentia objectiva conjungi potest cum falsitate.

RESPONSIO. — Concessa majore (de evidentia *physica*, et in hypothesi quod nulla daretur ratio suspicandi miraculum), DIST. MIN. ET CONSQS.: sine miraculo, ad

quod suspicandum nulla detur ratio, NEGO; in casu miraculi, ad quod suspicandum nulla detur ratio, CONC. — Si nulla datur ratio suspicandi miraculum, habetur reapse evidentia et certitudo *physica* (v. n. 34), sed haec non est prorsus infallibilis, ut jam monuimus (n. 28).

**64. Objectio 3.ª** — «Principium evidentiae non est evidens. — Probatur. Hoc principium, simplicius formulatum, ita se habet: *Evidens, est verum.* Ego assero hanc propositionem non esse evidentem. ¿Quando aliqua propositio est evidens? Quum in idea subjecti detegitur praedicatum; hoc autem hic non accidit. Evidens, idem est ac res clare visa, seu intellectui lucidissimo modo oblata. Verum, idem est ac conformitas ideae cum objecto. Nunc interrogo: quantumvis perscrutemur hanc ideam *clare visum* ¿poterimus in illa detegere hanc aliam *conformis objecto?* Minime. Datur hic saltus immensus; ...fit transitus ab idea ad objectum, qui transitus constituit problema magis transcendentale, difficilius et obscurius Philosophiae». (Balmes, *Fil. fund.*, l. 1, c. 22).

RESPONSIO. — DIST. ASSERT.: principium evidentiae *pure subjective acceptum*, ut illud Balmes accipere videtur, non est evidens, CONC. (v. n. 46); objective acceptum, NEGO. — Quoad probationem, dico principium evidentiae objective acceptum significare: *objectum clare visum, eo quod sit proportionatum et rite applicatum facultati cognoscitivae in statu normali versanti, se habet sicut apprehenditur vel affirmatur.* Praedicatum hujus propositionis evidenter convenit subjecto ejusdem (1).

(1) Ex dictis patet insignem Balmes aliqua confusione in hac materia laborare. Sed, quum censeamus doctrinam hujus praeclari philosophi, complexive inspectam, non mereri illam severitatem, qua ab aliquibus impugnatur; opportunum judicamus sequentia notare: 1.° Quamvis evidentiam pro mera claritate cognitionis Balmes accipere videatur; tamen evidentiam objectivam re ipsa minime excludit, sed potius eam implicite admittit, ex professo demonstrans objectivitatem idearum. — 2.° Si pro causa assensus erga principia abstracta et existentiam mundi exte-

## ARTICULUS V

### REFUTATIO PRAECIPUARUM OPINIONUM ERRONEARUM CIRCA SUPREMUM CERTITUDINIS CRITERIUM

**65.** Omissis prorsus illis sententiis, in quibus aperte negatur homini certitudo intellectualis ordinem realem respiciens, examini subjiciendae videntur aliae praecipuae opiniones male statuentes certitudinis criterium.

**66. Opiniones a Reid et Jacobi propugnatae.** — I. Phaenomenismum et agnosticismum refellere volens, Reid (m. 1796) asseruit nos instinctu quodam caeco, qui ab ipso vocatus est *facultas inspirationis et suggestionis* et ab aliis suae scholae *sensus communis*, ad veritatem impelli; ita ut omne judicium, cui ejus impulsu adhaereamus, verissimum sit.

II. Doctrinam similem, et pari motivo ductus, propugnavit Jacobi (m. 1819), quemdam *sensum* (sentimiento) ponens loco instinctus caeci.

**67.** THESIS 1.ª — **Neque instinctus reidianus, neque sensus jacobianus, possunt esse unicum aut ultimum certitudinis criterium.**

PROBATUR 1.° — Criterium certitudinis consistens in facultate vel motu non intellectuali esset omnino va-

---

rioris, assignat impulsum quemdam naturalem, non dicit hunc impulsum sese prodere sine motivo objectivo; potest igitur hoc accipi bono sensu, siquidem in omni facultate datur tendentia naturalis erga objectum proprium, ut docent Sanctus Thomas et omnes scholastici, et a nemine negari potest. — 3.° Modus loquendi aliquantulum subjectivista quo exprimitur, sive in hoc tractatu, sive in alio de sensatione, exculpari potest inspecto fine quem intendit, qui est refutare scepticos et idealistas, ipsisque *ad hominem* demonstrare existentiam mundi externi et objectivitatem sensationum. — 4.° In judicandis doctrinis tam praeclari auctoris in ejus *Filosofia fundamental*, prae oculis haberi debet (juxta regulam sanae criticae) illud opus non esse ad docendos alumnos destinatum, ideoque ejus stylum non esse scholasticum, sed academicum.

gum et abusui obnoxium, ac proinde practice inutile, ut facile cuivis apparet.

PROBATUR 2.° — Infallibilitas hujus criterii, vel admittitur caece eodem instinctu aut sensu, vel quia clare cognoscitur (deducta, v. gr., ex providentia Dei): si primum, non remanet homini nisi certitudo practica et spontanea, quam sceptici et agnostici non negant; si alterum, assignatum criterium nec unicum nec ultimum esse potest.

**68. Traditionalismus et lamennismus.** — I. Ut doctrinis subjectivistis independentiam rationis extollentibus sese opponeret, Bonald (m. 1840), qui aliunde censebat homines nihil posse cognoscere nisi cogitando verba, ac proinde sermonem primis parentibus a Deo infundendum fuisse, propugnavit *ultimum certitudinis criterium esse generis humani traditionem in revelatione primitiva fundatam* (1), sine qua homines solam probabilitatem assequi potuissent. Mitiore forma hoc systema propositum fuit a P. Ventura de Raulica (m. 1861) et a Bonnetty (m. 1879), qui illud restringunt ad veritates circa res immateriales.

II. Lamennais (m. 1854) etiam rationalismum impugnans, asseruit uniuscujusque intellectum de nulla re certitudinem habere posse, nisi consensus universalis aliorum accedat; ac proinde in universali consensu generis humani criterium certitudinis reposuit.

**69.** THESIS 2.ª — **Neque traditio neque universalis consensus generis humani possunt esse unicum aut ultimum certitudinis criterium.**

PROBATUR. — Neque traditio neque universalis consensus possunt certo cognosci, quin aliae veritates certo cognitae praesupponantur; ergo non possunt esse unicum aut ultimum certitudinis criterium.

PROB. ANTEC. — Haberi nequit certitudo de traditione vel de consensu generis humani, quin prius ha-

(1) Traditio est sucessiva narratio oralis, qua de generatione in generationem memoria alicujus rei transmittitur.

beatur de veracitate sensuum nostrorum ac de sufficientia monumentorum et documentorum, quibus talem consensum vel traditionem dari probetur. Atque etiam deberet aliunde constare totum genus humanum in nullum errorem incidere posse, vel Deum primis parentibus locutum esse.

**70. Pragmatismus seu utilitarismus.** — Juxta hoc systema, a Sanders Peirce (m. 1914) excogitatum, judicia nostra haberi debent tamquam vera vel falsa, prout bonos vel malos effectus habeant quoad vitam practicam, ac consequenter *criterium veritatis reponendum est in utilitate practica judiciorum nostrorum.* Dividitur pragmatismus in individualem seu humanisticum et socialem, prout respiciat utilitatem individui vel societatis. Primum professi sunt, ut videtur, ipse systematis fundator, James (m. 1910) et alii; alterum, Balfour et Brunetière.

**71.** — Tesis 3.ª — **Utilitas non est unicum aut supremum criterium veritatis.**

Probatur. — Praescindendo ab eo quod dantur judicia pure speculativa, quae nullum influxum habent in vitam practicam; saepe utilitas individui (in hoc mundo) et societatis sunt oppositae; etiam opponuntur saepe utilitas materialis et moralis, sive individui, sive societatis; interdum opponuntur utilitas proxima et remota; denique unum idemque assertum prius habitum tamquam utile, postea habetur ut nocivum. Ergo utilitas judiciorum est quid valde relativum, variabile et fere semper impossibile scitu, quin recurratur ad alias veritates prius cognitas, ac proinde nequit esse unicum aut supremum criterium veritatis.

## OBJECTIONES

**72. Objectio 1.ª** — Maxima pars hominum certo adhaeret multis veritatibus, quin earum rationem aliis reddere, vel ipsi videre, possint; ergo admittendus est

instinctus caecus, vel sensus, quo homines ad veritatem ducantur.

RESPONSIO. — NEGO ULT. P. ANTEC. — Etiam homines qui rationem illarum veritatum reflexe cognoscere et aliis reddere non possunt, eam directe vident plus minus perfecte.

**73. Objectio 2.ª** — Experientia compertum est quam turpes errores admiserint populi, in quibus traditio primitivae revelationis vel amissa vel depravata est; ergo ratio humana indiget ea traditione ut veritatem agnoscat.

RESPONSIO. — DIST. CONSQS.: ut agnoscat *quamcumque* veritatem, quamvis sit immediate evidens vel facillime deduci possit, NEGO; ut agnoscat facilius *multas* veritates, praesertim ad ordinem moralem et religiosum pertinentes, CONC. — Progressus scientiarum exigit quidem ut homines a suis majoribus doceantur de veritatibus tempore praecedenti cognitis (sive per revelationem, sive sine illa); sed etiam exigit ut homines agnoscere possint veritates de quibus traditio non habeatur. Ingens autem diffusio errorum moralium inter gentes revelationis divinae ignaras, non probat rationem esse naturaliter incapacem assequendi has veritates, sed magnam habere difficultatem provenientem potissimum ex passionibus; ac proinde non potest ex illa inferri necessitas *absoluta* revelationis, sed tantum necessitas *moralis* ejusdem ad cognoscendam *totam* legem moralem (v. s. Thomam, 1, 2, q. 109, a. 1).

**74. Objectio 3.ª** — Quum videmus caeteros a nostra sententia discrepare, saltem de illa dubitamus; et e converso, quum cernimus alios nobis consentientes, omnem depellimus errandi formidinem. Ergo sola ratio unius individui nullam certitudinem praebere potest.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: quum videmus caeteros *absolute omnes*, NEGO SUPPOSITUM; caeteros, quorum sententiam cognoscimus, SUBDIST.: in rebus, qua-

rum evidentia metaphysica facillime apparet, NEGO; in aliis rebus, et generaliter loquendo, CONC. — In rebus, quarum evidentia metaphysica facillime apparet (in quibus fieri nequit ut alii, nisi amentes sint, a nobis dissentiant) ad omnem errandi formidinem excutiendam aliorum consensu non indigemus. In rebus, ubi evidentia non est metaphysica vel plena, eatenus propter aliorum dissensum vel consensum, dubitamus aut in sententia nostra roboramur, quatenus prudenter timeri potest aliquod vitium in subtilibus ratiociniis, vel aliqua illusio in sensibus nostris, vel nobis moraliter evidens censeri quod tantum probabile est.

**75. Objectio 4.**[a] — Saepe probatur falsitas alicujus doctrinae ex nocivis ejus effectibus.

RESPONSIO.—Sed dantur falsitates, quae effectus nocivos non habent, et veritates quae neque bonos habent neque malos, hoc autem sufficit ut utilitas non sit criterium unicum. Praeterea, quum probatur falsitas alicujus doctrinae moralis ex ejus nocivis effectibus, supponuntur speculativae cognitae plures aliae veritates, v. gr., Deum existere et habere providentiam.

## ARTICULUS VI

### DE VERO VALORE SENSUS COMMUNIS ET CONSENSUS UNIVERSALIS, ATQUE DE CAUSIS ERRORUM NOSTRORUM

**76. De sensu communi.** — I. Nomine SENSUS COMMUNIS, ex schola reidiana desumpto, designatur *facultas, quae independenter ab omni auctoritate aut formatione scientifica, movet nos ad assentiendum quibusdam judiciis, quorum certitudo non videtur speculative rigorosa;* v. gr., *characteres typographici casu conjuncti nullum poëma efformabunt.*

II. HAEC FACULTAS EXISTIT; siquidem experientia testatur dari quaedam judicia, sicut illud mox allatum,

quae in omni regione ac tempore facile admittuntur ab omnibus, vel fere omnibus, hominibus.

III. Hujusmodi facultas vocatur *sensus*, eo quod veritates ab ipsa admissae non videntur habere evidentiam speculative rigorosam, et ideo dicuntur *sentiri*. — Est sensus *communis*, quia manifestatur in omnibus hominibus (saltem generaliter loquendo).

IV. HAEC FACULTAS NON EST INSTINCTUS CAECUS, UT VOLUIT REID, SED IPSE INTELLECTUS HUMANUS. Illud primum, quia, ut diximus in articulo praecedenti, instinctus caecus non est motivum sufficiens ut ens rationale assensum praebeat veritati. Alterum, quia intellectus habet pro objecto omnem veritatem, ac proinde non est ponenda nova facultas ad veritatem horum judiciorum percipiendam.

**77. De consensu universali.** — Dicuntur esse DE CONSENSU UNIVERSALI, *illae veritates in quibus consentiunt omnes vel fere omnes homines;* v. gr., *existentia Dei*, *immortalitas animae*, *etc.* — Dicimus *vel fere omnes*, quia dissensus paucorum contemnendus est.

Consensus universalis tunc solum habet momentum in Philosophia, quum versatur circa veritates fundamentales ordinis religiosi et moralis, quarum evidentia obscuratur in aliquibus hominibus fumo passionum.

**78. De causis consensus universalis quoad veritates morales et religiosas.** — Ad declaranda motiva, quibus nititur consensus universalis circa hujusmodi veritates, oportet eas distinguere in duas classes: prima est illarum quae vel sunt immediatae, vel facile deducuntur, v. gr., *existentia Dei;* altera, illarum quae vel habent difficilem demonstrationem, v. gr., *aeternitas poenarum alterius mundi;* vel respiciunt aliquod factum, v. gr., *lapsus primorum parentum.*

I. QUOAD VERITATES IMMEDIATAS VEL FACILE DEMONSTRABILES, SUFFICIENS CAUSA CONSENSUS HOMINUM EST IPSA EARUM EVIDENTIA. Ita facile eruitur ex dictis in n. 76, IV.

II. QUOAD VERITATES DIFFICILIUS DEMONSTRABILES,

VEL ALIQUOD FACTUM RESPICIENTES, CAUSA CONSENSUS UNIVERSALIS REPONENDA EST IN ALIQUA PRIMITIVA TRADITIONE. Etenim talis consensus circa veritates quae nec potuerunt immediate cognosci a descendentibus Adami, nec facile demonstrari possunt, nequit tribui propriae earum evidentiae; aliunde vero neque potest explicari per causas accidentales (ut sunt praejudicia, conventiones, etc.), ut patet; neque per magisterium sapientum, tum quia genus humanum amplexatum est has veritates antequam essent philosophi, tum quia nullus sapiens post Adamum potuit habere tantam auctoritatem. Ergo tribui debet traditioni inceptae a primis parentibus; qui sine dubio acceperunt a Deo per revelationem vel per scientiam infusam omnes veritates hominibus necessarias ad assequendum finem ipsis praestitum in hoc mundo. — Confirmatur assertum ex eo quod populi primitivi designabant libros ubi hae veritates continebantur, nomine *librorum sacrorum et traditionalium*.

**79. Quo pacto sensus communis et consensus universalis sint criterium certitudinis.** — I. Ex his quae dicta sunt, facile intelligitur, quod ad habendam aliquam propositionem tamquam certam, sufficeret ostendere eam esse juxta sensum communem; sed hoc ostendi non potest, nisi recurrendo ad ejus evidentiam vel ad consensum universalem circa illam. Sensus, igitur, communis nequit esse in praxi criterium speciale certitudinis.

II. Quoad consensum universalem (qui saepe probari potest directe) statuenda videtur haec propositio.

**80.** THESIS. — **Consensus universalis, qui explicari non possit per causam generalem erroris, est criterium speciale certitudinis.**

PROBATUR. — Praescindendo a veritatibus, de quarum rigorosa evidentia nemo dubitare potest (pro quibus esset superfluum recurrere ad consensum universalem), et excluso casu quo habeatur causa generalis erroris, ita instituimus argumentum:

Non est possibile ut fere omnes homines omnium

generationum conveniant in admittenda aliqua re tamquam vera, nisi in ipsa inveniant evidentiam (saltem moralem vel sensus communis) aut moveantur auctoritate praecedentium generationum et in ultimo termino auctoritate primorum parentum. Atqui in utroque ex his duobus casibus, illa res nequit esse falsa. Ergo consensus universalis, qui non possit explicari per aliquam causam generalem erroris est criterium speciale certitudinis.

PROB. MAJOR. — Admodum difficile est, quod plures homines conveniant in una eademque re, ac proinde consensus universalis debet habere causam validissimam, quae tantum potest esse alterutra ex duabus indicatis (vel ambae simul).

PROB. 1.ª P. MINORIS. — Nequit haberi ut falsum illud judicium cujus evidentia fere toti generi humano videtur sufficiens ad assentiendum ipsi sine formidine errandi, nisi scepticismus statuatur.

PROB. 2.ª P. MINORIS. — Dubitari non potest quominus primi parentes, quum filiis suis haec assererent, simul ostenderent se plenam scientiam habere de illis rebus (v. dicenda circa auctoritatem humanam, n. 100 et seq.).

**Confirmatur.** — Posset confirmari haec probatio auctoritate sapientium cujusvis temporis, sed tantum afferemus verba Ciceronis et Senecae, quorum primus inter alia haec dicit (Tusc. l. 1): «In omni re consensio omnium gentium lex naturae est»; alter vero: «Multum dare solemus praesumptioni omnium. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri» (Epist. 117).

**81. Corollarium.** — Ex dictis patet, quid concedimus et quid negamus traditionalistis et lamennistis. Concedimus revelationem divinam, traditionem et consensum universalem gignere certitudinem; sed negamus in illis reponi posse criterium supremum et universale certitudinis naturalis, siquidem agnosci debet certitudo ab illis independens.

**82. Objectio.** — Ad negandum consensum universalem esse criterium certitudinis, objicit Bayle aliquando gavisos esse universalitate quosdam errores, v. gr., *polytheismum* et persuasionem de motu solis. — Sed polytheismus non fuit constans, siquidem incepit post diluvium; neque se extendit ad omnes populos, nam saltem populus israeliticus nunquam illum amplexatus est; immo, ipsi populi polytheistae in rigore admittunt unicitatem Dei, ut in Theodicea declaratur. — Quoad errorem circa motum solis, dabatur generalis causa deceptionis, scilicet, illusio sensuum ad quam corrigendam nulla tunc habebatur ratio (1).

**83. De causis errorum nostrorum.** — Causae nostrorum errorum tantum haberi possunt ex parte intellectus, aliarum facultatum et objectorum.

I. Ex parte intellectus, causa generalis omnium errorum est ipsius LIMITATIO, nam intellectus finitus nequit esse infallibilis (v. n. 40. Inst.). Quod si huic naturali limitationi intellectus adduntur defectus attentionis et praecipitatio in judicando, habebimus unam ex praecipuis radicibus nostrorum errorum.

Huic annumerari debent: 1.°, IGNORANTIA DIALECTICAE ET ONTOLOGIAE; etenim, quum prima doceat nos leges ratiocinii, altera vero principia fundamentalia omnium scientiarum, sine cognitione illarum difficillime vitari possunt plurimi errores; 2.°, DEFECTUS METHODI IN STUDIO, et praecipue *encyclopedismus scientificus*, seu praxis, infeliciter adeo frequens, docendi et discendi simul multitudinem scientiarum, quantumvis diversarum et difficilium. Merito inquit P. Zephyrinus González quod inspecta methodo studiorum in praxi adhibita opus esset inferre omnes nostros magistros et alumnos adaequare ingenium Sancti Augustini, Sancti Thomae vel Leibniz.

II. Quoad alias facultates, occasionem praebent multis judiciis falsis: 1.°, SENSUS EXTERNI ET IMAGINA-

(1) Circa hanc materiam fructuose legitur Balmes, *Fil. fund.*, l. 1, cc. 32 et 33.

TIO; illi, quia adhibentur sine debitis conditionibus (v. n. 92), haec autem quia ejus repraesentationes aliquando accipi possunt pro realitatibus; — 2.° APPETITUS SENSITIVUS; quia passiones ipsius, praesertim si vehementiores sunt, perturbant intellectum non minus quam imaginatio, ut testatur ipsa experientia, quae omnino confirmat assertum a Balmes prolatum: *Passiones sunt optimae sociae, sed pessimae consiliariae;* — 3.°, VOLUNTAS, quae suo magno influxu in caeteras facultates, intellectum inducit ad judicandum juxta sua desideria.

III. Ex parte objecti, principalis causa nostrorum errorum est DIFFICULTAS ALIQUARUM QUAESTIONUM, in quibus assequi non possumus nisi probabilitatem, et adhuc post multum tempus et laborem (Videatur circa hanc materiam Balmes, praesertim in *Criterio*).

# CAPUT III

## DE FONTIBUS CERTITUDINIS ORDINEM REALEM RESPICIENTIS

**84. Status quaestionis et divisio capitis.**— Opus est jam ostendere, ut in n. 59 promisimus, nobis constare posse de realitate et existentia objectorum respondentium conceptibus, quibus judicia et ratiocinia efformamus. Hoc autem quinque articulis praestabimus: in duobus primis veracitatem conscientiae et sensuum externorum tuebimur, ex quarum perceptionibus omnes illi conceptus immediate vel mediate hauriuntur, ut Psychologia docet; et in aliis tribus, ad materiam complendam, de alieni testimonii auctoritate agemus.

## ARTICULUS I

### DE VERACITATE CONSCIENTIAE

**85. Quid sit conscientia.** — I. Nomen CONSCIENTIA, omisso sensu quem habet in Ethica, designat vel *facultatem vel actum percipiendi aliquam affectionem internam.* Ita, *habere conscientiam*, interdum significat *posse percipere*, interdum vero *percipere de facto* aliquam internam affectionem.

II. Dividi solet conscientia in DIRECTAM et REFLEXAM. Vocatur directa, *quum ejus objectum vel non est actus intentionalis, vel non distinguitur ab actu quo percipitur;* ita, quum percipimus contractionem alicujus musculi, haec perceptio est conscientia directa suimetipsius et illius contractionis. Conscientia est reflexa, *quum ejus objectum est aliquis actus intentionalis distinctus ab actu quo percipitur;* ita actus, quibus voluntarie examinamus cogitationes, desideria, sensationes nostras, sunt actus conscientiae reflexae.

III. Etiam dividitur conscientia in SENSITIVAM et SPIRITUALEM, prout dependeat intrinsece vel extrinsece (v. n. 2, III) ab aliquo organo corporeo. Omnes enim antiqui scholastici admittebant dari in nobis specialem facultatem sensitivam (*sensum intimum* etiam illam vocabant), qua reflexe percipere possemus omnes sensationes directas, seu non habentes pro objecto aliam sensationem. Sed quum plures moderni hunc specialem sensum rejiciant, et objectum ejus, si datur, etiam ad conscientiam spiritualem pertineat, ab hac divisione conscientiae praescindemus. Porro conscientiam spiritualem (facultatem) consistere in solo intellectu, qui reflectere potest supra proprios ipsius actus, Psychologia docet.

**86. De objecto conscientiae.**— Ex dictis infertur, et communiter admittitur, objectum conscientiae spiritualis esse omnes actus intentionales, etiam ordinis

sensitivi, tamquam *actu praesentes* et proprios. Etiam est objectum ejus propria existentia, seu proprium EGO, tamquam subjectum illorum actuum; siquidem repugnat percipere aliquem actum tamquam proprium, quin percipiatur ipsum EGO affectum seu modificatum illo actu. Conscientia tamen non manifestat clare quaenam sit essentia, vel natura, τοῦ EGO et suorum actuum et facultatum, siquidem hoc solo ratiocinio cognosci potest, ut experientia docet. Probe etiam notari debet actus cognoscitivos posse esse *perceptivos*, *rememorativos* vel *imaginativos*, et in casibus anormalibus hos actus non facile discerni inter se. Porro actus perceptivi sunt illi, quibus exhibetur objectum actu influens in ipsos, v. gr., visio libri coram me positi; rememorativi exhibent rem antea perceptam, v. gr., recordatio personae absentis; imaginativi exhibent rem conflatam elementis antea perceptis, v. gr., apprehensio juvenis alati.

**87.** THESIS. — **Conscientia quoad existentiam propriorum actuum intentionalium et proprii «ego» est fons certitudinis.**

PROBATUR 1.° — Nihil est adeo evidens unicuique quam existentia sui ipsius suorumque actuum intentionalium. Nec posset dici vitam esse quoddam somnium, et existentia τοῦ EGO merum phaenomenon; nam EGO habens somnia, sine dubio existit et habet illas repraesentationes, et hoc solum est quod conscientia testatur.

PROBATUR 2.° — Evidens est conscientiam directam alicujus actus intentionalis, utpote cum ipso identificatam, non posse esse falsam; hinc autem sequitur nec in conscientia reflexa posse dari falsitatem, siquidem absurdum est hanc conscientiam haberi sine prima vel cum ipsa pugnare.

## OBJECTIONES

**88. Objectio 1.ª** — Conscientia non est fons certitudinis; quia ut certi essemus de existentia suorum

actuum, indigeremus alia conscientia, et ita porro usque in infinitum.

RESPONSIO. — NEGO ASSERTUM ET RATIONEM ADDITAM.— Etenim ipse actus conscientiae testimonium irrefragabile dat de semetipso. Praeterea, quum conscientia spiritualis sit facultas reflexiva, potest redire supra suum actum ope alterius.

**89. Objectio 2.ª** — Interdum non solum dubitamus de natura alicujus actus intentionalis, verum etiam de existentia illius; ergo conscientia non illos certo testatur.

RESPONSIO. — Si ipsa conscientia relinquit nos dubios de aliqua re, in hoc nullatenus decipit; sed praeterea dicendum est primam partem objectionis non venire ad rem, siquidem, ut jam advertimus, natura actuum intentionalium non est objectum conscientiae. 2.ᵐ PARTEM sic DIST.: dubitamus de existentia actuum intentionalium *praeteritorum*, CONC.; *praesentium*, NEGO. — Actus praeteritus non est objectum conscientiae, sed memoriae.

**90. Objectio 3.ª** — Somniantes et amentes putant se habere sensationes quas non habent, et aliqui, quibus brachium, v. gr., ablatum est, dicunt se experiri dolorem in parte ablata; ergo conscientia non est verax.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: quia totaliter vel partialiter confundunt aliquem actum cognoscitivum modo anormali habitum cum actu perceptivo normali, CONC.; quin habeant illum actum, quem ipsis conscientia testatur, NEGO. — Amentes et somniantes habent actus imaginativos anormales, quos putant esse, v. gr., visiones vel auditiones actuales. Qui autem brachium recenter amputatum habet, experitur dolores anormales, quorum locus non clare exhibetur sensatione ipsa, et illis associatur vivida imaginatio vel recordatio brachii.

**Instantia.** — Si Deus suppleret influxum actus conscientiae directae in actum conscientiae reflexae, hic

posset produci non existente illo; ergo in conscientia falsitas dari potest circa proprios actus intentionales.

RESPONSIO. — NEGO SUPPOSITUM. — Hypothesis est omnino absurda, sin minus inspecta sola potentia physica Dei, saltem propter ejus infinitam veracitatem.

## ARTICULUS II

### DE VERACITATE SENSUUM EXTERNORUM ET COMMUNIS

**91. Status quaestionis.** — I. Est res ab omnibus cognita, sensus nostros externos esse VISUM, AUDITUM, GUSTUM, OLFACTUM seu ODORATUM, et TACTUM, illosque praebere nobis certitudinem spontaneam de existentia corporum nobis externorum, quorum colores et figuram, sonos, sapores, odores, et resistentiam atque temperaturam nobis referunt.

II. Etiam extra dubium est, quod si primum videmus, v. gr., aliquod metallum, et postea illud aspicientes manibus nostris attrectamus, appropinquamus naribus, lambimus et percutimus, manemus spontanee certi de eo quod illud objectum nobis apparens tali colore et figura praeditum, est idem quod manifestat talem resistentiam et frigiditatem nostris digitis, et producit illum odorem, saporem et sonum, quos sucessive experti sumus; et quum aliqua ex his sensationibus illi objecto debitis reviviscit, etiam aliae plus minus in mente reviviscunt. Hoc probat dari in nobis *facultatem* quamdam *associationis* (formam logicam), quae SENSUS COMMUNIS vocatur, ope cujus percipimus quasdam sensationes ut simultaneas et ad idem objectum referentes, earumque vestigia, in nobis relicta, associata retinemus.

III. Demum experientia constat sensus nostros non esse infallibiles, siquidem saepe intellectus debet rejicere aut corrigere eorum errores et illusiones; ita, v. gr., fastigium arboris frondosae atque distantis ut

quid compactum visui nostro apparet, atque virga partim et oblique aquis immersa inflexa videtur. Sed haec fallibilitas cum veracitate cohaeret, quae tantum exigit ut error vel illusio absit *servatis conditionibus servandis*. Porro actus proprii sensuum externorum et communis fere sunt tam proprie veri aut falsi, sicut judicium formale; etenim non solum invitant mentem ad affirmandum objectum esse sicut ab ipsis exhibetur, verum etiam ex se solis huic affirmationi aequivalent.

**92. Conditiones ne sensus errent.** — I. ORGANUM DEBET ESSE SANUM. Quoniam ejus juvamine debemus percipere objecta, ac proinde si non inveniretur in statu normali, facile sensatio vitiari posset. Quotidiana experientia hoc ipsum testatur; scimus enim laborantes oculis quodam morbo omnia videre eodem colore, et alias similes anomalias dari.

II. MEDIUM INTER ORGANUM ET OBJECTUM NON DEBET ESSE PERTURBATUM. Etenim per ipsum transmittitur influxus objecti usque ad organum, ideoque illo perturbato hujusmodi influxus non recte pervenit ad organum. Ita qui aspicit aliquod objectum lente vitrea illud videt majori vel minori magnitudine.

III. RELATIONES INTER OBJECTUM ET ORGANUM DEBENT ESSE CONFORMES LEGIBUS CUJUSQUE SENSUS. Ita v. gr., experientia testatur nos non percipere recte colores et figuram objectorum nimis distantium, vel rapido motu agitatorum, etc.

**93. Corollarium.** — EX DICTIS COLLIGITUR EXERCITIUM SENSUUM EXTERNORUM ESSE DIRIGENDUM ET ORDINANDUM OPE RATIONIS. Etenim quum haec sit facultas superior, ipsi incumbit munus dirigendi caeteras. Intellectus ergo debet aliquando suspendere judicium, si nempe advertit defectum alicujus conditionis; alias adhibere diversos sensus ad detegendam veritatem; demum, saepe corrigere errores praecipitatione vel aliis de causis admissos. — (Circa regulas apte utendi sensibus, legatur Balmes, *Lógica*, l. 1, c. 1, et *Criterio*, c. 5).

**94.** THESIS 1.ª — **Sensationes nostrae externae probant realitaten rerum nobis externarum.**

PROBATUR. — Sensationes externae, quas habemus, non adeo dependent a voluntate nostra, sicut ordinariae repraesentationes imaginariae; sed aliter ac somnia, habent quamdam dependentiam ab illa, quae explicari nequit nisi etiam dependeant a distinctis realitatibus objectivis. Sic, ego nunc possum imaginari sive portum barcinonensem sive montem, quem Serratum dicunt; sed non possum videre, nisi movear, alia objecta quam illa quae habentur in cubiculo, ubi sum. Ast, si ambulare incipio, desinam videre illa objecta, et videbo primum illa quae habeantur in habitatione proxima, et deinde januam domus, viam progredientem inter duas lineas domorum, etc.; et prout fuerit deambulatio, videbo aliam vel aliam seriem viarum et plateārum, quarum successio non possum pro lubitu variare.

Porro, omnino evidens est, hoc exemplum et alia plurima quae afferri possent, probare quod sensationes nostrae externae non tantum dependent a voluntate nostra et causis pure subjectivis, sed etiam a causis realibus objectivis.

**95. Notandum.** — Ex probata existentia proprii EGO, propriorum actuum cognoscitivorum, et objectorum his actibus respondentium, facile eruitur, ut suis locis videri potest, non modo notionem *entis*, verum etiam notiones *causae* et *effectus*, *substantiae* et *accidentis*, etc., objectivum valorem habere (v. Ont., nn. 14, 15, 59), ideoque probari potest (nn. 142, 143) existentia Primae Causae unicae, sive Dei, omnes perfectiones possibiles habentis. Potest ergo constare de summa veracitate Dei, in qua thesis sequens fundatur.

**96.** THESIS 2.ª — **Sensus nostri, positis debitis conditionibus, exhibent res prout revera sunt.**

PROBATUR. — Si sensus nostri, positis debitis conditionibus, non exhiberent res prout revera sunt, ipsa natura induceret nos in errorem, non per accidens, sed per se; atqui hoc est absurdum; ergo sensus nostri, po-

sitis debitis conditionibus, exhibent res prout revera sunt.

PROB. MAJ. — Natura dedit nobis non tantum sensus externos, verum etiam invincibilem tendentiam ad credendum quod saltem per se et quamvis aliqua imperfectione, ipsi exhibent nobis res externas prout revera sunt. Et hanc tendentiam nec ipsi sceptici et idealistae deponere possunt, ut sincere fatentur.

PROB. MIN. — Si ipsa natura nostra induceret nos in errorem, etiam in adjunctis favorabilioribus, hoc esset tribuendum Deo, a quo acceptas habemus omnes facultates et tendentias; atqui Deus, quamvis permittere possit aliquos errores, non potest esse causa sive immediata sive mediata ipsorum, siquidem est ipsa veritas; ergo absurdum est quod natura nostra inducat nos in errorem, non per accidens, sed per se.

## OBJECTIONES

**97. Objectio 1.ª** — Sensatio est pure subjectiva, anima enim non potest sentire extra se; atqui quod est pure subjectivum non potest nobis aliquid reale et objectivum detegere; ergo sensus nostri non possunt reddere nobis manifestam existentiam rerum externarum.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: sensatio quatenus est affectio subjecti est pure subjectiva, CONC.; quatenus est quaedam cognitio, NEGO. — Etiam DIST. MIN.: quod sub omni ratione est pure subjectivum, CONC.; quod sub una ratione est subjectivum et sub alia objectivum, NEGO. — Ipsi idealistae fatentur sensationes nostras inducere nos ad admittendam existentiam rerum externarum; hoc autem posito, est saltem gratuitum asserere quod necessario debeant nos decipere.

**98. Objectio 2.ª** — Omnis repraesentatio vera debet esse conformis objecto repraesentato; atqui apprehensiones nostrorum sensuum nullam similitudinem habent cum corporibus realibus; ergo nequeunt esse repraesentationes verae.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: debet esse conformis *entitative* objecto suo, NEGO; debet esse illi conformis *in modo repraesentandi*, CONC. — CONTRADIST. MIN. et NEGO CONSQM. — Veritas actus repraesentativi non exigit quod ipse et objectum habeant entitatem similem, sed quod objectum sit vel inveniatur a parte rei sicut actus repraesentat. Nulla est ratio ad exigendam aliam similitudinem in repraesentatione quae manifestam reddit rem repraesentatam, quin ipsa cognoscatur per modum objecti. Similitudo haec *in modo repraesentandi* propria actuum cognoscitivorum, denominatur *intentionalis*.

**99. Objectio 3.ª** — Sensus nostri, etiam in adjunctis favorabilioribus, exhibent tamquam existentes in objectis externis colores, sonos, etc.; atqui tantum existunt in nobis, ut asserunt plures moderni; ergo sensus nostri, quamvis excitentur causis exterioribus, sunt fallaces.

RESPONSIO. — Si testimonium nostrorum sensuum hoc exigeret, posset et deberet adhuc defendi opinio antiqua, juxta quam omnes *qualitates sensibiles* (color, sapor, etc.) existunt secundum earum conceptum vulgarem in corporibus, quibus tribuuntur (exceptis casibus illusionis), et sunt accidentia physica ipsorum; hoc enim longe distat ab omni absurditate. Ad Psychologiam (1) pertinet perpendere utrum aliqua ex illis qualitatibus revera exhibeatur a respectivo sensu ut nobis exterior; nunc, supponentes visum ita proponere colores, negamus quod in hoc semper decipiamur, ac proinde admittimus corpora externa habere in se eum colorem, quem in adjunctis favorabilibus, ipsis attribuimus, quantumcumque contrarium asserant plures moderni, qui ad probandum colores *visos* non esse in rebus, objiciunt tantum casus in quibus conditiones evidenter non sunt aptae ad habendam rectam visionem.

(1) V. opus nostrum *Compendio de Filosofía escolástico-contemporánea*, t. 2, Psicol., nn. 36-39.

## ARTICULUS III

### NOTIONES GENERALES CIRCA AUCTORITATEM TESTIMONII ALIENI

**100. De testimonio et teste.** — Imprimis, TESTIS vocatur *subjectum referens seu asseverans aliquid;* TESTIMONIUM autem, *actus quo illud refertur seu asseritur a teste.* Testis potest esse IMMEDIATUS vel MEDIATUS, prout cognoverit per semetipsum vel per alios rem, quam testatur; ita, Apostoli erant testes immediati factorum Christi, illi autem, qui narrationes apostolorum audierunt, testes mediati. Testis immediatus dicitur OCULATUS vel AURICULATUS, prout per visum vel auditum rem testatam cognoverit.

**101. De fide et auctoritate.** — I. Juxta notionem vulgarem, HABERE FIDEM est *credere quod non videtur*, scilicet, quod cognoscitur testimonio alterius; ac proinde ACTUS FIDEI est *assensus praestitus alicui rei propter testimonium alterius.* Ita, de existentia Alexandri habemus fidem (naturalem), quia illam admittimus propter testimonium Historiae, et idem dici posset de pluribus aliis veritatibus.

II. Ut hic assensus sit rationabilis, opus est ut testis vel testes habeant AUCTORITATEM, seu *scientiam* et *veracitatem cognitas.* Etenim clarum est quod sine SCIENTIA testis non cognosceret bene illud quod referre vult, et sine VERACITATE posset illud referre mendaciter; etiam clarum est, non sufficiere quod testis habeat praedictas qualitates ut fides praebeatur ejus dictis, sed insuper requiri quod de illis constet. Auctoritas, ergo, est *vis moralis, quam habet cognita scientia et veracitas testis ad obtinendum assensum illius dictis.*

**102. De effectibus auctoritatis.** — Ex dictis infertur auctoritatem seu testimonium fide dignum producere assensum plus minus firmum, cui, saltem implicite,

praecedit aliquod ratiocinium simile sequenti: rationabiliter creditur habenti scientiam et veracitatem cognitas, atqui in hoc casu mihi constat de scientia et veracitate testis, ergo rationabiliter ei credam.

Sed quum auctoritas possit esse divina vel humana, et haec esse major vel minor, sequentibus propositionibus determinabimus differentes effectus, quos producit.

I. AUCTORITAS DIVINA SEMPER PRODUCIT CERTITUDINEM METAPHYSICAM. Nam absolute repugnat Deum falli vel fallere.

II. AUCTORITAS HUMANA EX SE TANTUM PRODUCIT CERTITUDINEM MORALEM. Etenim scientia et veracitas hominum plerumque tantum constat certitudine morali.

III. CERTITUDO, QUAM PRODUCIT AUCTORITAS HUMANA, ALIQUANDO AEQUIVALET METAPHYSICAE. Quia tot et tanti sunt testes, ut absolute repugnet non esse verum quod dicunt. Ita accidit cum existentia Romae, Christi, etc.

IV. AUCTORITAS HUMANA PRODUCIT INTERDUM SOLAM PROBABILITATEM. Saepe, enim, non constat clare de scientia et veracitate testium. Ita, potest generatim dubitari de scientia quoad circumstantias parvi momenti rerum narratarum.

**103. Regulae circa scientiam et veracitatem testium.** — I. DATUR SCIENTIA IN TESTE SEMPER AC VERSATUS EST IN CONDITIONIBUS DEBITIS AD FACTUM BENE COGNOSCENDUM. Quia intellectus natura sua tendit ad veritatem, et nequit illam non cognoscere quum clare manifestatur.

II. TESTIS HABET VERACITATEM SEMPER AC MENTIRI IPSI NOCERET, VEL SALTEM NULLUM BONUM ATTENDIBILE REPORTARET. Quia homo semper agit aliquo bono allectus, et quum mendacium sit verum malum pro homine, nemo mentitur sine ullo motivo.

## ARTICULUS IV

### DE AUCTORITATE HUMANA QUOAD FACTA HISTORICA

**104. Status quaestionis.** — Sicut existit scepticismus philosophicus, etiam datur historicus, asserens *auctoritatem humanam nos posse certitudinem gignere;* in hoc articulo, igitur, demonstrabimus valorem auctoritatis humanae quoad facta historica.

**105. De tendentia hominis ad assentiendum auctoritati.** — Quamvis haec tendentia homini naturalis, non sufficiat ad probandum quod auctoritas humana sit fons certitudinis, est tamen quoddam praeambulum ad hoc demonstrandum, etenim, si ipsa natura impellimur ad credendum, est impossibile quod auctoritas nunquam producere valeat certitudinem, siquidem Deus, auctor naturae humanae, non potuit illi imprimere tendentiam quae ex se ad errorem ducat.

**106.** THESIS 1.ª — **Homo habet naturalem tendentiam ad assentiendum auctoritati.**

PROBATUR 1.° — Omnes experimur hanc tendentiam ut ipsi sceptici fatentur. Hume, v. gr., confessus est se statim ac desinebat scribere theoretice contra legitimitatem certitudinis moralis, non audere sua principia vitae practicae applicare, ac proinde in praxi sese gerere sicut alii homines. Ergo haec tendentia est universalis ideoque ab ipsa natura procedit.

PROBATUR 2.° — Pro quolibet individuo, pro familia et pro societate est omnino necessarium ut certa accipere plura testimonia aliorum; ergo ad hoc ipsa natura debet nos inducere.

PROB. ANTEC. — Est necessarium PRO QUOLIBET INDIVIDUO, nam qui dictis aliorum nullatenus fideret, vitam gerere deberet solitariam sicut homo selvaticus; PRO FAMILIA, quia, aliis rationibus omissis, sine hac fide

nesciremus quinam sunt parentes nostri, et consequenter societas domestica non subsisteret; PRO SOCIETATE, quia propter solum testimonium aliorum, omnia illa quae ad patriam pertinent, eamque amare faciunt, cognoscimus. Ideo sapientissime dicit Augustinus totam vitam hominis in fide fundari, et pejus esse omnem auctoritatem recusare, quam aliquando ab ipsa decipi; atque Balmes addit sine fide in verbo aliorum omne genus humanum periturum esse (v. S. Aug., *De utilitate credendi;* Balmes, *Fil. fund.*, l. 1, c. 32 et *Protestantismo*, c. 5).

**107.** THESIS 2.ª — **Servatis debitis conditionibus, auctoritas humana est fons certitudinis quoad facta historica.**

PROBATUR 1.º — Ex una parte certissimi sumus in pluribus factis, quae aliis retulimus, neque nos deceptos esse, neque alios decepisse; ex altera vero parte, etiam certissimum est plura nobis relata fuisse vera. Ergo testimonium humanum potest esse fons certitudinis, scilicet, si debitae servantur conditiones.

PROBATUR 2.º — Ut testimonium humanum gignat in nobis certitudinem, sufficit et requiritur quod nobis constet de scientia et veracitate testis; atqui saepe potest constare nobis de illis; ergo in pluribus casibus testimonium humanum veram certitudinem gignit.

PROB. 1.ª P. MINORIS. — Interdum idem factum a pluribus testibus narratur uniformiter; alias factum est simplicissimum, attentionem raptans, etc. In his et similibus casibus nobis constat de scientia testium, siquidem error in ipsis tantum provenire posset ex prava dispositione sensuum, quae non est timenda in multis testibus, nec in paucis quorum sensuum acuitatem bene cognoscimus.

PROB. 2.ª P. MINORIS. — Aliquando plane cognoscimus probitatem testis; saepe testes sunt multi et valde dissimiles aetate, moribus, et convenientiis; interdum fraus posset facile detegi ab aliis, et inde redundaret dedecus vel aliud nocumentum gravius in testem; ali-

quando ipsum factum quod narratur est probrosum testibus, vel familiae aut patriae eorum, quin ullo pacto ipsis prodesset talem rem fingere. In his et aliis casibus nobis constat de veracitate testium: in primo, quia homo probus non mentitur; in secundo, quia inter tot testes tam diversos nequit supponi mutuus consensus ad decipiendum; in tertio, quia nemo agnosci vult ut mendax; in quarto, quia nemo sine ullo lucro mentitur contra se ipsum vel contra res a se dilectas.

**108. De traditione, monumentis et historia.**— His tribus mediis veritas historica usque ad nos pervenit; ideo ad complementum doctrinae traditae circa testimonium humanum dicemus aliqua de ipsis.

I. TRADITIO est *successiva narratio oralis, qua transmittitur de generatione in generationem memoria alicujus rei.*

SI DEBITIS ORNATUR CONDITIONIBUS, CERTITUDINEM GIGNIT. Hae conditiones sunt sequentes: 1.ª, ut sit ampla quoad numerum testium in singulis generationibus; 2.ª, ut sit continua, seu non interrupta, ab ipso tempore, quo res narrata gesta fuit; 3.ª, ut sit illustris, seu referens factum publicum et illustre, et ideo attentionem excitans; 4.ª, ut sit uniformis, saltem quoad substantialia facti et praecipuas circumstantias.

Porro traditio his conditionibus ornata, ad nos defert ipsum testimonium testium immediatorum, quod nonnisi veridicum esse potuit, ut facile apparet. Etiam perspicuum est valorem traditionis augeri, si viget in integra natione, vel in pluribus; item si roboratur monumentis, etc.

II. MONUMENTA sunt *opera artis, quae ad memoriam alicujus facti conservandam, destinantur;* talia sunt *statuae, inscriptiones, templa, numismata*, etc.

SI DEBITIS GAUDENT CONDITIONIBUS, CERTITUDINEM PARIUNT. Hae conditiones sunt: 1.ª, ut sint authentica, seu illius auctoris vel aetatis, cui attribuuntur; 2.ª, ut sint contemporanea factis per ipsa commemoratis; 3.ª, ne opponantur ulli legitimae traditioni vel docu-

mento fidedigno; 4.ª, ut sint facta seu constructa omnino publice.

His conditionibus positis, monumenta probant luculenter veritatem facti commemorati; fieri enim non potest ut aliquod monumentum publice exstruatur in testimonium rei falsae, quin societas, vel aliqua ejus pars, falsitatem proclamet, et hoc historice constet.

III. Historia est *narratio scripta factorum*. Ad detegendam veritatem alicujus historiae, opus est attendere: 1.°, ad qualitates historiatoris; 2.°, ad naturam factorum; 3.°, ad qualitates ipsius narrationis.

Quoad primum, historiator debet esse: 1.°, contemporaneus factorum, vel plane cognoscens traditionem, monumenta et documenta, quibus illa probantur; 2.°, vir probus; 3.°, non celato nomine suam scriptionem publico tradere. Etenim his positis nequit prudenter dubitari de ejus scientia et veracitate.

Quoad secundum, facta debent esse: 1.°, publica et alicujus momenti; perspicuum enim est, non posse admitti, saltem generatim, narrationes de rebus secretis sine probatione clara; 2.°, componi posse cum omnibus aliis factis rite probatis.

Quoad tertium, historia debet esse: 1.°, authentica, seu illius auctoris cui tribuitur; 2.°, integra, seu habens omnia quae auctor scripsit; 3.°, non interpolata, seu sine additionibus.

Praeterea, opus est distinguere facta a judiciis historiatoris circa eorum causas et effectus, ut patet.

Omnia haec, etiam documentis, proportione servata, applicari debent.

Historia has conditiones habens parit certitudinem. Tantum enim differt a traditione, quia haec momoriam facti narratione orali conservat, historia vero narratione scripta (v. Balmes, *Lógica*, *Autoridad humana*, et *Criterio*, cc. 8-12).

## OBJECTIONES

**109. Objectio 1.ª** — Testimonium unius testis non potest certitudinem producere; atqui quod dicitur de partibus, potest dici de toto; ergo neque testimonium multorum certitudinem gignere valet.

RESPONSIO 1.ª — DIST. MAJ.: generatim, CONC.; omnino universaliter, NEGO. — Revera unicus testis plerumque non potest gignere certitudinem, quia de ejus scientia et veracitate vix constare potest; sed aliquando illius probitas, perspicacia et caeterae qualitates possunt esse adeo notae, ut de narrationibus ipsius prudenter dubitare nequeamus.

RESPONSIO 2.ª — Transmissa majore, DIST. MIN.: plerumque, CONC.; semper, NEGO. — Collectio plurimorum testium, longe differentium aetate, convenientiis, moribus, etc., qui tamen omnes uniformiter referunt aliquam rem, vincit impossibilitatem, quam habent singuli seorsim sumpti, manifestam reddendi suam scientiam et veracitatem; sicut plures homines possunt levare pondus, quod unusquisque non posset.

**Instantia.** — Collectio non mutat naturam testium; atqui unusquisque falli potest; ergo etiam tota collectio.

RESPONSIO. — Concedo majorem et minorem, sed DIST. CONSQS.: collectio est fallibilis, sed interdum est impossibile quod tota collectio incidat in eumdem errorem, CONC.; semper fieri potest ut tota collectio incidat in eumdem errorem, NEGO. — Solutio est clara.

**110. Objectio 2.ª** — Traditio decursu temporis amittit suam vim; ergo traditiones antiquissimae non possunt producere certitudinem.

RESPONSIO. — NEGO ANTEC., etenim decursu temporis traditiones nihil amittunt, nisi constare desinat illas gaudere debitis conditionibus.

**Instantia.** — Plures traditiones per multum tempus habitae ut legitimae, postea compertae sunt falsae, sicut

plura documenta et monumenta habita tamquam authentica, inventa sunt apocrypha; ergo nunquam possumus esse certi de valore traditionis, monumentorum et documentorum.

RESPONSIO. — DIST. 1.m PARTEM ANTEC.: traditiones ornatae debitis conditionibus, NEGO; destitutae aliqua ex his conditionibus, CONC. — Pariter DIST. 2.m PARTEM: certo habita tamquam authentica, NEGO; probabiliter, CONC. — Et sub his distinctionibus nego consequentiam. — Ex eo quod aliquae traditiones, monumenta et documenta rejici meruerint, non sequitur omnes rejiciendas esse, vel nunquam posse constare de valore illarum.

**111. Objectio 3.a** — Auctoritas humana nequit producere certitudinem quoad facta miraculosa. Etenim certitudo moralis cedere debet physicae; atqui de constantia legum naturalium habemus certitudinem physicam et testimonium humanum in favorem miraculi tantum moralem certitudinem gignere posset; ergo auctoritas humana nequit producere certitudinem quoad facta miraculosa.

RESPONSIO 1.a — Haec objectio supponit leges naturae non posse suspendi a Deo in casibus particularibus, quod tamen est contra rationem et contra experientiam; ratio enim dictat Deum, utpote omnipotentem, esse dominum omnium virium naturalium et posse producere effectus superantes omnes vires naturales; historia autem testatur plures homines habuisse certitudinem physicam de factis miraculosis, v. gr., vidisse multiplicationem panum, et resurrectionem Lazari.

RESPONSIO 2.a — NEGO ASSERTUM et DIST. MAJ.: si certitudo physica fundatur in propria et immediata perceptione facti, TRANS.; si tantum habetur *a priori* (respectu facti de quo agitur), NEGO. — Si de aliquo facto cui ego praesens fui, audio relationem contrariam, hanc reputabo falsam, nisi possim suspicari me male vidisse rem; sed casus objectionis non est iste, siquidem contenditur quod sufficit constantia legum physicarum

ad negandum factum ipsis contrarium, quantumvis habeat in favorem sui testimonium plurimorum hominum. Porro evidens est quod si hi testes habent conditiones requisitas, ipsis credendum est, quum non repugnet leges naturales suspendi a Deo.

## ARTICULUS V

### DE AUCTORITATE SCIENTIFICA

**112. Valor auctoritatis scientificae.**—Ad finiendam materiam de auctoritate humana declarabimus valorem ejus in scientiis et exponemus aliquas opiniones circa ipsam.

I. SOLA AUCTORITAS HUMANA NON PRODUCIT CERTITUDINEM SCIENTIFICAM. Nam certitudo scientifica est propria cognitionis rei per causas seu rationes intrinsecas, scilicet, depromptas ex natura ipsius; praebere autem assensum alicui rei ex sola auctoritate alterius, est illam cognoscere motivo extrinseco. Hoc certe clarum est; sicut est etiam evidens quod si discipulus admittit conclusionem aliquam propter rationes a magistro expositas non cedit soli ejus auctoritati, quamvis rationes non sint apodicticae.

II. SOLA AUCTORITAS HUMANA IN MATERIIS SCIENTIFICIS ALIQUANDO PRODUCIT CERTITUDINEM MORALEM. Dicimus *aliquando*, quia generatim producit tantum probabilitatem; sed quum nobis constat de scientia cujusdam in determinata materia, vel scimus omnes sapientes convenire in aliquibus veritatibus affirmandis, esset imprudens suis dictis non praebere assensum. Ideo adagium: *Peritis in arte credendum.*

III. AUCTORITAS SAPIENTUM, RECTE INTELLECTA, FAVET PROGRESSUI SCIENTIARUM. Nam si praescinderetur omnino a magisterio scientifico, nulli fructus hauriri possent ex thesauro veritatum, quas sapientes praeteritorum saeculorum invenerunt; unusquisque deberet

sola sua industria incipere inquisitionem veritatum; et quum progressus in scientiis admodum lentus sit, etiam viri sagatiores paucissimas veritates assequi possent, et semper de novo eaedem inveniri deberent.

IV. AUCTORITAS SAPIENTUM EST PROPORTIONALIS ARGUMENTIS QUIBUS SUAM DOCTRINAM STABILIUNT. Etenim, quamvis opiniones antiquorum non debeant facile contemni, tamen certissimum est quod in materiis scientificis primum locum habent argumenta, pro illis qui ea capere valent.

**113. Notandum.** — AUCTORITAS ECCLESIAE IN SUIS DEFINITIONIBUS DOGMATICIS, NON EST PURE HUMANA, SED IN DIVINIS PROMISSIONIBUS FUNDATUR; et ideo non est fallibilis, sed infallibilis.

**114. Systematismus et eclecticismus.** — Illi viri scientifici, qui adeo venerantur auctoritatem alicujus scholae vel magistri, ut tenaciter defendant omnes ejus conclusiones, exceptis ad summum illis, quae omnino improbabiles apparent, vocantur SYSTEMATICI: nominantur vero ECLECTICI illi qui in singulis quaestionibus quaerunt solutionem, quae ipsis verior videtur, a quacumque schola vel magistro defendatur. Si electio doctrinarum fit sine prudentia, eclecticismus evadit, ut dicitur, SYNCRETISMUS.

Systematismus commendandus videtur tironibus, dummodo amplectantur systema rationabile; nam unitas doctrinae et principiorum valde utilis est ad solidam formationem intellectualem. Pro hominibus jam excultis praeferendus videtur prudens eclecticismus systematismo absoluto.

**115. Eclecticismus propugnatus a Cousin.** — Juxta hunc auctorem in omnibus systematibus philosophicis aliquid veritatis habetur, tota autem veritas in nullo invenitur, sed quidem in complexu omnium. Inde vero concludebat esse medium unicum et infallibile possidendi totam veritatem omnia systemata in harmoniam redigere mediantibus mutuis concessionibus.

Praescindendo ab eo quod gratis affirmat Cousin

nullum systema esse in omnibus verum, nec ullam veritatem novam inveniri posse; praecipuum argumentum contra ejus systema est quod associare conatur systemata essentialiter incompossibilia. Sic, v. gr., desumere ex materialismo existentiam materiae et ex spiritualismo existentiam spirituum, est destruere materialismum, cujus essentia consistit in neganda existentia spirituum. Non est, ergo, mirandum hujusmodi systema ad Historiam transiisse cum suo fundatore.

# CAPUT IV

## DE SCIENTIA IN SE ET IN SUIS RELATIONIBUS CUM FIDE

**116. Divisio capitis.** — Materia ad praesens caput pertinens tribus articulis exponetur: in 1.°, natura scientiae atque ejus divisiones declarabuntur; in 2.°, natura universalium, circa quae scientiae versantur, explicabitur; in 3.°, de relationibus inter scientiam et Fidem agetur.

### ARTICULUS I

#### DE NATURA ET DIVISIONIBUS SCIENTIAE

**117. Definitio scientiae.** — Prout diximus in Introductione ad Philosophiam, scientia seu cognitio scientifica alicujus rei, seu veritatis, est illa quae fundatur in ejus causis seu rationibus; sed generatim, quum loquimur de scientia, non tribuimus hoc nomen cognitioni singulari vel collectioni plurium inconnexarum, sed cognitionibus seu veritatibus inter quas detur nexus et dependentia. SCIENTIA, ergo, hoc sensu accepta, definitur: *complexus cognitionum seu veritatum connexarum, quae referuntur ad materiam seu objectum determinatum et inferuntur ex principiis certis et eviden-*

*bus*. Haec principia possunt esse veritates immediatae ordinis idealis, vel facta cognita testimonio sensuum. In praxi datur etiam nomen scientiae complexui cognitionum, qui *speratur* perventurus ad hanc dignitatem.

**118. De characteribus scientiae.** — Praecedens definitio indicat quos characteres debent dari in veritatibus seu cognitionibus, aliquam scientiam proprie dictam constituentibus: 1.°, *debent esse certae*, quia cognitio scientifica est cognitio perfecta, et tantum est perfecta cognitio certa, ideoque nemo scientiam vocat cognitionem dubiam vel opinativam; 2.°, *debent haberi vel cognosci per demonstrationem directam* (1), quia per hanc solam habetur cognitio rei per causas, siquidem demonstratio indirecta probat praedicatum de facto convenire subjecto, sed non ostendit rationem intrinsecam hujus convenientiae; 3.°, *debent esse necessariae*, *immutabiles et ex se universales*, quia inniti debent ipsa natura, seu essentia rerum, quae nequit esse aliter ac est, et (nisi increata sit) invenitur repetita in pluribus individuis; 4.°, *debent constituere systema*, quia natura objecti et proprietates, quae ex illa derivantur, tantum possunt plene cognosci per complexum ordinatum et completum enuntiationum.

**119. De objecto scientiae.** — *1. Omne illud de quo scientia agit* vocatur in genere OBJECTUM illius, sed non omnia de quibus scientia agit veniunt eodem pacto in ejus considerationem. Ideo dividitur objectum scientiarum in MATERIALE SECUNDARIUM, MATERIALE PRIMARIUM et FORMALE. Materiale secundarium non consideratur ratione sui, materiale primarium attingitur ratione sui, formale autem est illa ratio abstracta, seu forma logica, propter quam aliquid est objectum materiale primarium (2). Exemplo clarescet divisio. Medici-

(1) Veritates immediatae non pertinent ad scientiam, sed sunt fundamentum ejus.

(2) Aliqui auctores scholastici objectum materiale primarium vocant *formale quod*, et illud quod a nobis dicitur simpliciter *formale*, denominant *formale quo*.

na agit de corpore humano et insuper de ejus morbis et medicamentis, sed illud quod *ratione sui* attingitur hac scientia, et consequenter constituit ejus objectum primarium, est solum corpus humanum; de morbis enim ac de medicamentis agit in gratiam illius, et ideo sunt objectum secundarium. Praeterea corpus humanum considerari potest sub multis aspectibus, sed Medicina illud tantum considerat in quantum est capax recuperandi amissam sanitatem, et ideo dicitur objectum formale Medicinae esse *sanabilitatem* corporis humani.

II. Ex dictis infertur: 1.°, diversas scientias posse habere sive partialiter, sive totaliter, idem objectum materiale (etiam primarium), quia eaedem res possunt considerari sub aspectibus omnino diversis; 2.°, objectum materiale (etiam primarium) posse complecti plures res specie diversas, siquidem res longe diversae possunt considerari sub aliquo aspectu in quo conveniant; 3.°, scientias distinctas non posse habere idem objectum formale (V. Los., *Log.*, tr. 1, dp. 2, c. 1, nn. 4-7; c. 9, nn. 1-4 — tm. 1, p. 169 et p. 303).

**120. Criterium ad distinguendas scientias.** — Ut patet ex doctrina tradita, ILLAE SCIENTIAE SUNT DISTINCTAE QUAE HABENT DISTINCTUM OBJECTUM FORMALE.

**121. Divisiones scientiae.** — I. Ratione finis dividitur scientia in SPECULATIVAM et PRACTICAM. Speculativa habet pro fine *contemplationem veritatis*, practica vero *eruere applicationes ad praxim*. Speculativae sunt Ontologia, Psychologia rationalis, Theodicea, etc.; practicae autem Logica et Moralis.

II. Ratione ordinis, quem habent inter se, dividuntur scientiae:

1.° In SUBALTERNANTES et SUBALTERNATAS. Subalternans est *scientia quae alteri dat aliquas conclusiones suas, ut in hac pro principiis habeantur;* subalternata autem *illa quae accipit tamquam principia conclusiones alterius*. Ita, scientia Juris positivi est subalternata Morali seu Ethicae. — 2.° Etiam dividuntur in DISTINCTAS et SEPARATAS. Sunt distinctae, *illae quae ha-*

*bent objecta formalia diversa, sed plus minus connexa;* separatae autem *illae quarum objecta formalia nullam connexionem habent.* Geometria et Ethica sunt separatae, sed Physica et Chimia sunt tantum distinctae.

**122. Notandum.**—Animadverti debet non esse idem scientiam *subordinari* aut *subalternari* alteri; nam omnes scientiae subordinantur Logicae eo quod debeant servare illius regulas in suis ratiociniis, non tamen ipsi subalternantur quia non accipiunt illas regulas tamquam principia.

**123. Divisio moderna scientiarum.**—Diversae scientiae, quae nostris temporibus coluntur, distribui possunt in quinque collectiones, quas mox indicabimus designando simul earum objectum generale et praecipuas scientias in illis contentas.

1.ª COLLECTIO. SCIENTIAE METAPHYSICAE (Philosophia realis). — Agunt de ente valde in genere vel de spiritibus. — In hac collectione recensetur ONTOLOGIA, quae considerat proprietates communes omnibus entibus; PSYCHOLOGIA SUPERIOR, quae versatur circa animam spiritualem; THEODICEAM, quae agit de Deo; COSMOLOGIA, quae versatur circa characteres generales mundi corporei; et PSYCHOLOGIA INFERIOR, quae agit de anima materiali.

2.ª COLLECTIO. SCIENTIAE MATHEMATICAE. — Eorum objectum formale est quantitas, siquidem agunt de quantitate seu rebus QUANTIS. — Subdividuntur in PURAS et APPLICATAS. Sunt purae ARITHMETICA, ALGEBRA, GEOMETRIA, CALCULUS INFINITESIMALIS et MECHANICA RATIONALIS, quae versantur, respective circa numeros, circa determinationem relationum inter quantitates variabiles, quibus possit erui valor aliquarum cognito valore aliarum, circa extensionem, circa determinationem limitum ad quos tendunt sive fractiones terminorum infinite parvorum, sive summae constantes numero infinite magno sumandorum infinite parvorum, ac demum circa relationes inter spatium, tempus et vires.

Sunt applicatae, illae scientiae que agunt de motibus astrorum, de constructione machinarum, etc.

3.ª COLLECTIO. SCIENTIAE PHYSICAE. — Student legibus et proprietatibus materiae inorganicae.—Inter illas recensentur PHYSICA, CHIMIA, MINERALOGIA et GEOLOGIA, quae respective agunt de mutationibus accidentalibus corporum, de mutationibus substantialibus eorumdem, de statu quo inveniuntur illa in natura, ac de formatione globi in quo habitamus. Duae postremae facile includi possent in collectione sequenti, si ejus objectum ampliatur.

4.ª COLLECTIO. SCIENTIAE NATURALES. — Agunt de viventibus corporeis. — In hac collectione numerantur BOTANICA, ZOOLOGIA et BIOLOGIA, quae respective incumbunt in studium vegetalium, animalium et manifestationum microscopicarum vitae organicae. Duae priores subdividuntur in ANATOMIAM, PHYSIOLOGIAM et SYSTEMATICAM, quae agunt de structura entium organicorum, de horum functionibus et demum de classificatone ipsorum.

5.ª COLLECTIO. SCIENTIAE MORALES. — Versantur circa activitatem intelligentem et liberam hominis, vel considerando quomodo sit, vel quomodo deberet esse. Inter priores numerantur PSYCHOLOGIA EXPERIMENTALIS quae studet phaenomenis internis, quae conscientia testatur; HISTORIA, quae inquirit facta hominum transacta eorumque causas; et PHILOLOGIA, quae agit de formatione linguarum. Inter alias recensentur MORALIS seu ETHICA, LOGICA, ESTHETICA, OECONOMIA POLITICA et SOCIOLOGIA, quae respective declarant normas quibus conformari debent vita practica hominis, ratiocinia, opera artis, leges faventes incremento divitiarum, et relationes inter capitale et laborem.

JURISPRUDENTIA, quae explicat leges in aliqua natione vel in Ecclesia vigentes, simul declarat *quomodo sint*, generaliter loquendo, et *quomodo esse debeant* actus liberi illis legibus regulati.

## ARTICULUS II

### DE NATURA UNIVERSALIUM, CIRCA QUAE SCIENTIAE VERSANTUR

**124. Status quaestionis.** — I. Termini orales, qui in scientiis potissimum adhibentur, possunt seorsim applicari pluribus individuis vel entitatibus realiter distinctis, v. gr., termini *homo*, *triangulus*, *cognitio*, *veritas*, etc., et ideo vocantur *universales;* in genere enim UNIVERSALE dicitur illud *quod unum quum sit*, *extenditur ad plura*.

II. Hoc posito, quaeritur: 1.°, utrum his terminis oralibus respondeant conceptus seu termini mentales qui etiam pluribus rebus applicari possint, et consequenter *universales* dici debeant; 2.°, et principaliter, an utrisque terminis respondeant *realitates*, *quae unitate gaudeant et tamen in pluribus rebus repetitae inveniri possint*, et ideo sint pariter *universales* (non *in significando*, sicut termini, sed *in essendo*).

III. Universalis objectivi, seu in essendo, etiam ab illis qui ejus existentiam negant, haec definitio datur: *unum aptum esse in multis*. Porro *unum* sumitur ut *oppositum pluribus* seu pluralitati, ac proinde ut aliquomodo negans vel excludens pluralitatem actualem; *aptum esse in multis*, intelligitur *simul* in omnibus illis, *et per identitatem realem* cum unoquoque atque ita ut in illis illud ipsum *multiplicetur*. Hujusmodi universale, quatenus de multis praedicari posset, vocatur universale *in praedicando*.

**125. Opiniones diversae.** — I. In solis terminis oralibus, seu nominibus, universalitatem admiserunt antiqui *nominales*, quorum dux fuit Roscellinus (saec. 11); illam autem ad terminos mentales extenderunt aliqui, ut Abaelardus (m. 1142) et Ockam (m. 1349), qui *conceptualistae* vel *nominalistae mitiores* vocati

sunt. His postremis accensendi sunt Kant et omnes criticistae seu idealistae transcendentales.

II. E contra, plures, qui *realistae exaggerati* dicuntur, posuerunt universalia dari a parte rei jam pro priori ad quemlibet conceptum nostrum. Hi diversimode rem explicant.

Platonici, ut fertur, reponebant universalia in quibusdam formis realibus absque ulla determinata individuatione existentibus; Ontologi in ipsis ideis divinis; Scotus Erigena (saec. 9) cum omnibus pantheistis in unica substantia cum rebus omnibus identificata; aliqui ad scholam franciscanam pertinentes in essentiis specificis, quarum unaquaeque realiter eadem datur in pluribus individuis cum sola varietate accidentium; alii ejusdem scholae cum Mastrio (m. 1673) in essentia cujuslibet individui, quae ex se poterat esse in quolibet alio ejusdem speciei; demum nonnulli in collectionibus individuorum similium (v. Los. *Log.*, tr. 2, dp. 2 — tm. 2, p. 119).

III. Denique vera sententia defendit *realismum mitigatum*, scilicet *admittit universalia objectiva, sed addit eorum unitatem non haberi formaliter a parte rei, sed in actu mentis* praescindentis a differentiis, quae inveniuntur in individuis vel entitatibus similibus, et a pluralitate ipsorum.

**126.** THESIS 1.ª — **Nominalismus purus absurdus est.**

PROBATUR. — Juxta hanc doctrinam, nullum est fundamentum cur unum idemque nomen adhibeatur ad significanda haec plura individua et non alia (v. gr., cur nomen *homo* applicetur *Petro*, *Paulo*, etc., et non *equo*, *cani*, etc.); et consequenter tollitur omne discrimen inter voces univocas et aequivocas. Atqui ex sensu communi voces habent significationem ratione cujus applicari possunt his individuis et non aliis; et datur discrimen inter voces univocas et aequivocas, siquidem omnes distinguunt inter modum quo vox *homo*, v. gr., applicatur Petro, Paulo, etc., et vox *gallus* cuidam ani-

mali et quibusdam hominibus. Ergo nominalismus purus absurdus est.

**127.** THESIS 2.ª — **Conceptualismus, seu nominalismus temperatus, etiam est absurdus.**

PROBATUR. — Quum seorsim praedico, v. gr., de Petro, Paulo, etc., quod sint *homo*, non praedico vocem solam neque solum conceptum formalem, sed aliquid objectivum, quod est aliquomodo unum, et tamen in unoquoque ex illis invenitur per identitatem. Ergo conceptibus universalibus respondet aliquid objectivum universale, ac proinde conceptualismus, id negans, est absurdus.

**128.** THESIS 3.ª — **Universale in essendo nequit dari a parte rei independenter a consideratione mentis.**

PROBATUR 1.° — Quod existit a parte rei, nequit habere simul et independenter a consideratione mentis veram unitatem (pluralitati oppositam) et veram aptitudinem essendi in pluribus per identitatem, ita ut simul sit, v. gr., *homo* UNUS ET APTUM ESSE MULTIPLEX. Atqui est de ratione veri universalis in essendo, habere hujusmodi unitatem et aptitudinem ad pluralitatem. Ergo universale in essendo nequit dari a parte rei independenter a consideratione mentis.

PROBATUR 2.° — Illud quod in opinionibus supra recensitis dicitur universale objectivum, non est proprie universale in essendo. Nam in collectione individuorum similium deest vera unitas (pluralitati opposita), illa vero quae in aliis opinionibus designantur (quamvis admittantur vel permittantur) carent vera aptitudine ad pluralitatem ut percurrenti patebit.

**129.** THESIS 4.ª — **Agnosci debent universalia objectiva, quae tamen ab intellectu accipiant unitatem requisitam.**

PROBATUR. — Objectum respondens conceptui universali, v. gr., conceptui *homo*, exhibetur menti, ut introspectione constat, sine ulla pluralitate ac proinde habet unitatem; aliunde est realiter aptum essendi in multis, siquidem vere praedicatur de Petro, de Paulo,

etc. Ergo. hoc objectum recte denominatur *universale*.

Porro quod ab intellectu accipiat suam unitatem, patet: 1.°, quia a parte rei non potest illam habere simul cum multiplicitate reali, ut constat ex supra dictis; 2.°, quia ejus unitas tantum consistit in eo quod mens praescindat a pluralitate individuorum (et ab eorum differentiis).

PAULO ALITER. — Quum praescindendo a differentiis, quibus discriminantur plura individua (vel plures entitates), quae habeant majorem vel minorem similitudinem, efformamus conceptum omnibus illis convenientem, hujusmodi conceptus est expressio vera, quamvis incompleta, realitatis illorum individuorum (seu entitatum), a quarum pluralitate etiam praescindit; ergo, illa multiplex realitas individuorum (vel entitatum) tali conceptui respondentium, ab eodem unificatur; quum autem non desinat inveniri realiter in pluribus individuis (vel entitatibus), posito illo conceptu habet quidquid requiritur ut sit quoddam *universale*. Ita, praescindendo a differentiis quae dantur inter Petrum, Paulum, etc., vel inter colorem rubrum, viridem, etc., efformamus conceptum *homo*, vel *color*, sub quibus collectio omnium hominum, vel omnium colorum, unificatur, ac proinde evadit *universale*.

**130. Notanda.** — 1.m Ex dictis infertur universale esse quoddam *concretum* habens pro subjecto multitudinem individuorum (vel entitatum) realium aut possibilium, et pro forma (in obliquo importata) conceptum praescindentem a multiplicitate et differentiis ipsorum.

2.m Quaelibet cognitio vocatur *intentio;* et dicitur *prima* vel *secunda*, prout repraesentet rem secundum se, vel secundum quod est objectum prioris cognitionis. Sic, cognitio *animal* est intentio prima; cognitio autem *genus*, utpote supponens rem universaliter cognitam, est intentio secunda. Conceptus objectivus respondens secundae intentioni, nequit ut talis praedicari de individuis; *Petrus* enim, v. gr., *non est genus* (v. Los., *Log.*, tr. 1, dp. 2, c. 4, nn. 1, 2, 3 — tm. 1, pag. 204).

3.m Juxta diversos modos loquendi, collectio individuorum (vel entitatum), prout est a parte rei, vocatur *universale physicum* vel *in potentia remota;* eadem collectio, prout cognita prima intentione sine multiplicitate et differentiis, dicitur *universale metaphysicum*, *in potentia proxima*, *in essendo*, *directum* vel *absolutum;* demum, universale hoc, prima intentione constitutum, prout reflexe cognitum secunda intentione illud comparante cum singulis individuis, appellatur *universale logicum*, *formale seu actuale*, *in praedicando*, *reflexum* vel *relativum*.

4.m Nobis non placet collectionem rerum prima intentione cognitam vocare universale *in potentia;* nam videtur evidens secundam intentionem comparativam, siquidem cognoscit vel detegit quod objectum prima intentione praecisiva cognitum est vere et proprie *unum aptum esse in multis* immo *et praedicari de multis*. supponere, minime vero constituere proprie dictum *universale*, juxta definitionem ab omnibus admissam.

5.m Universale dicitur: 1.°, *immateriale*, quia non includit materiam signatam seu individualem, et quia ex se potest existere solum immaterialiter in intellectu; 2.°, *ingenerabile et incorruptibile*, videlicet, *negative*, quia praescindit ab omni generatione seu productione et ab omni corruptione vel desitione; 3.°, *esse ubique ac semper*, etiam *negative*, quia ex se nulli loco aut tempori alligatur.

6.m Rationes objectivae, quae universales sunt (v. gr., *animal*, vel *homo*), propterea realiter multiplicantur, quod a parte rei identificentur cum oppositis rationibus differentialibus (v. gr., *rationalitate*, *rugibilitate*, etc.; vel *Petreitate*, *Pauleitate*, etc.), cum quibus constituunt diversas rationes specificas vel individuales (v. gr., *homo*, *leo*, *etc.;* vel *Petrus*, *Paulus*, *etc.*). Sed quamvis rationes universaliores non recipiantur *physice* (sicut anima in corpore) in rationibus differentialibus, aut e converso; tamen recipiuntur in illis, vel illas recipiunt *logice* seu juxta nostrum modum concipiendi. Ideo

Sanctus Thomas dicit nihil posse multiplicari, quod non recipiatur in alio, vel recipiat aliud (scilicet, *logice*).

## OBJECTIONES

**131. Objectio 1.ª** — Singulare et universale sunt correlativa. Atqui correlativa sunt simul. Ergo si datur singulare independenter ab intellectu, etiam universale debet ita dari.

RESPONSIO. — TRANS. MAJ. — DIST. MIN.: saltem cogitatione, CONC.; semper realiter, NEGO. —Singulare et universale aliquomodo sunt correlativa, saltem sicut singularitas et multiplicitas Dei, sed hoc exemplo ostenditur quod non omnia utcumque correlativa debeant vel possint existere simul.

**132. Objectio 2.ª** — Petrus et Paulus non differunt essentialiter a parte rei. Ergo a parte rei et independenter ab intellectu habent eamdem essentiam, ac proinde haec est universalis ante operam mentis.

RESPONSIO. — TRANS. MAJ. — DIST. 1.ᵐ PARTEM CONSQTIS.: eamdem identitate actuali et opposita distinctioni, NEGO; aptitudinali vel opposita dissimilitudini, CONC. — Petrus et Paulus ante operationem mentis habent entitates totaliter distinctas, sed similes, et ideo *possunt* unificari per actum mentis.

**133. Objectio 3.ª** — Objectum cognitionis universalis, v. gr., *homo*, est *ens* independenter ab hac cognitione; ergo etiam habet unitatem independenter ab hac cognitione, siquidem *ens* et *unum* convertuntur.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: est ens multiplex, CONC.; ens unicum, NEGO. — DIST. etiam CONSQS.: habet unitatem multiplicem, CONC.; unicam, NEGO.

**134. Objectio 4.ª** — Natura humana, v. gr., non est de se individua et singularis, sed indiget aliquo superaddito, quo individuetur. Ergo de se apta est ut per principia individuantia contrahatur in pluribus individuis.

RESPONSIO. — DIST. 1.m PARTEM ANTEC.: si accipitur prout est objectum cognitionis praescindentis ab omni individuatione, CONC.; si accipitur prout est a parte rei, SUBDIST.: non est de se individuum *unicum*, CONC.; *multiplex*, NEGO. — Etiam DIST. 2.m PARTEM.: realiter distincto a natura reali quae individuatur, NEGO; sola ratione distincto ab illa, CONC.

**135. Objectio 5.a**—Objectum antecedit potentiam cognoscitivam ejusque actus omnes. Atqui universale est objectum intellectus. Ergo nequit constitui cognitione.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: objectum secundae intentionis, NEGO; primae intentionis, SUBDIST.: antecedit in actu primo, CONC.; in actu secundo vel quoad modum quo objicitur, NEGO. — Etiam DIST. MIN.: universale specificative sumptum, CONC.; reduplicative sumptum, SUBDIST.: objectum primae intentionis, NEGO, secundae intentionis, CONC. — Evidens est, objectum secundae intentionis non antecedere omnes actus potentiae cognoscitivae, atque etiam ipsum objectum primae intentionis non necessario antecedere hanc, eo modo quo sub illa objicitur.

**136. Objectio 6.a** — Si actus mentis constituerent universalia, haec multiplicarentur per multiplicationem illorum actuum; v. gr., universale *homo* per cognitionem ejus in Petro et in Paulo. Atqui hoc est absurdum. Ergo actus mentis non constituunt universalia.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: si constituerent illa in recto, CONC.; posito quod illa constituant in obliquo, NEGO. — Concreta non multiplicantur nisi per multiplicationem *recti* (v. Dial., n. 40, nota).

**137. Objectio 7.a** — Objectum nequit accipere unitatem a conceptu, quia potius hic habet unitatem ab objecto. Ergo universalia nequeunt fieri per intellectum.

RESPONSIO.—DIST. 1.m PARTEM ANTEC.: unitatem realem seu excludentem pluralitatem a parte rei, CONC.; rationis et *praescindentem* in mente a pluralitate reali, NEGO. — Solutio est clara; sed hoc nota, quod unitas, quam conceptus habet, est realis.

**138. Objectio 8.ª** — Unitas accepta ab intellectu est impropria; ergo non sufficit ad constituendum universale proprie dictum.

RESPONSIO. — Si darentur universalia a parte rei, illa quae formaliter habentur per intellectum essent impropria; sed quum haec sola possint dari, ipsa eorumque unitas habent totam proprietatem, quam possunt habere.

**139. Objectio 9.ª** — Collectio plurium individuorum similium, quamvis consideretur praescindendo a pluralitate et differentiis eorum, nequit praedicari de quolibet ipsorum; ergo etiam cum tali praecisione cognita non est *universale*.

RESPONSIO — DIST. ANTEC.: nequit praedicari sensu collectivo, CONC.; sensu quasi disjunctivo, NEGO. — Jam monuimus in Dialectica (n. 44), quod in propositionibus affirmativis praedicatum universale non accipitur in tota sua extensione, et ex sensu communi patet quod quum dicitur, v. gr., *Petrus est homo*, propositio aequivalet huic *Petrus est ens respondens conceptui* HOMO, minime vero huic: *Petrus est omne ens respondens conceptui* HOMO (1).

**140. Objectio 10.** — Universale non datur, nisi quum cognoscitur. Atqui tantum cognoscitur per secundam intentionem. Ergo non datur universale per solam primam intentionem.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: nisi quum cognoscitur specificative sumptum, CONC.; reduplicative sumptum, NEGO. — Universale datur eo solo quod cognoscatur collectio individuorum, vel entitatum, cognitione praescindente a pluralitate et differentiis eorum.

**141. Objectio 11.ª** — Universale importat relationem ad multa in quibus esse possit. Atqui haec relatio

(1) Videtur clarum quod solutio hujus difficultatis, desumptae ex *extensione* conceptuum universalium, est inaependens ab eo quod ejus *comprehensio*, magis vel minus limitata, explicetur per praecisionem *formalem* vel per *objectivam*, de quibus agemus in Ontologia (nn. 120, IV; 122).

non datur sine cognitione comparativa. Ergo haec cognitio comparativa requiritur, ut detur universale.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: relationem saltem aptitudinalem, CONC.; actualem, SUBDIST.: sive cognitam, sive incognitam, TRANS.; cognitam, NEGO.—Transmissa minore, NEGO CONSQM. — Sive dicatur illam relationem non dari, sive non cognosci, sine comparativa cognitione, haec non requiritur ad habendum universale constitutum.

## ARTICULUS III

### DE RELATIONIBUS INTER SCIENTIAM ET FIDEM

**142. Status quaestionis.** — I. Ut indicat titulus hujus articuli, contendimus nunc declarare relationes quae dantur inter scientiam et Fidem divinam. Quid sit scientia, dictum est in primo articulo hujus capitis; Fides divina, juxta dicta in n. 101 et seq., est assensus praestitutus alicui veritati propter auctoritatem Dei.

II. Fides divina differt a scientia: 1.°, *quoad principium;* nam scientia procedit ex sola ratione naturali, Fides autem divina ex lumine supernaturali revelationis; — 2.°, *quoad objectum;* quia hoc in scientia constituitur veritatibus naturalibus, in Fide autem divina veritatibus a Deo revelatis, sive naturalibus, sive supernaturalibus, Deus enim docere potest homines veritates utriusque ordinis; — 3.°, *quoad motivum;* etenim scientia veritates admittit propter evidentiam ipsarum, demonstratione cognitam, Fides autem propter solam auctoritatem Dei.

III. Relationes inter Fidem et scientiam, ad has reduci possunt: 1.°, ad relationem harmoniae inter utramque; 2.°, ad relationem mutui juvaminis; 3.°, ad relationem praestantiae Fidei respectu scientiae. De his tribus breviter loquemur.

**143. De harmonia inter scientiam et Fidem.**—Haec harmonia consistit in eo quod NULLA VERITAS REVELATA

OPPONI POTEST ULLI VERITATI SCIENTIFICAE, juxta definitionem Concilii Vaticani: *Nulla unquam inter Fidem et rationem vera dissensio esse potest* (Denz.-Ban., 1797). Oportet tamen advertere quod tantum sunt veritates Fidei illae de quibus constat esse a Deo revelatas, de quo Ecclesia judicare debet; sicut tantum sunt veritates scientificae facta plene comperta et conclusiones evidenter probatae. Potest, igitur, dari oppositio inter veritatem aliquam Fidei et opiniones propugnatas ab aliquo sapiente, atque etiam inter opinionem alicujus theologi et aliquam veritatem scientificam; minime vero inter veritates de Fide et veritates scientificas.

Assertum probat ipsum Concilium ex eo quod «idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere» (Denz.-Bann., 1797).

Adeo evidens est haec ratio, ut Leibniz, quamvis protestans, dixerit: «Ut certum assumo duas veritates non posse inter se opponi; atque etiam materiam circa quam Fides versatur esse veritatem a Deo homini revelatam modo extraordinario, scientiam vero esse complexum veritatum, quas intellectus noster assequi potest sine juvamine luminis Fidei... Quum ratio et Fides sint pariter donum Dei, earum contradictio argueret luctam et contradictionem in essentia divina. Ergo si quando objectiones, quas ratio proponit contra aliquam doctrinam Fidei, videntur insolubiles; dicendum est quod principia, quibus hae difficultates nituntur, non sunt a recta ratione stabilita, sed somnium et figmentum humani intellectus.»

**144. De mutuo juvamine inter scientiam et Fidem.** — I. SCIENTIA EST UTILIS FIDEI.

PROBATUR 1.° — Scientia demonstrat solis viribus rationis praeambula Fidei; ergo est huic utilis.

PROB. ANTEC. — Ut rationabiliter praebeatur assensus veritati revelatae, opus est, sicut diximus de auctoritate loquentes (n. 101, II), praevie cognoscere scien-

tiam et veracitatem Dei, atque etiam factum revelationis divinae. Porro scientia demonstrat existentiam atque infinitudinem Dei, unde eruitur ejus infinita scientia et veracitas. Etiam demonstrat scientia facta quae probant existentiam divinae revelationis, sicut alia facta historica.

PROBATUR 2.° — Semel admissa divina revelatione, eruere conclusiones ex veritatibus revelatis, demonstrare nullam ex ipsis sese opponere scientiae, et solvere objectiones quae contra dogmata proponuntur, valde utile est Fidei; scientia vero haec omnia beneficia Fidei praebet.

II. FIDES EST UTILIS SCIENTIAE.

PROBATUR 1.° — Fides est utilis scientiae quatenus proponit veritates naturaliter assequibiles. Etenim revelatio harum veritatum est intelligentiae tamquam pharus et criterium infallibile quo dirigatur in suis investigationibus; nam difficilius invenitur veritas omnino incognita, quam demonstratur si praevie ut certa cognoscitur.

PROBATUR 2.° — Fides est etiam utilis scientiae quatenus proponit veritates supernaturales. Quia cognitio harum veritatum disponit intellectum ut facilius et intimius penetret veritates, quas naturaliter assequi potest.

Ratio est clara; nam extra dubium est quod habitus cogitandi de rebus excellentioribus reddit facilius studium aliorum inferioris ordinis; ideo quotidiana experientia testatur hominem scientiis deditum statim capere quaestiones de quibus homo rudis neque terminos intelligit, atque Historia docet philosophos christianos, ut Sanctum Augustinum, Sanctum Thomam, P. Suarez et alios, etiam in ordine naturali invenisse mirabiles theorias, detexisse absconditas relationes inter entia, atque elevasse analysim conceptuum subtiliorum ad altitudinem, ubi nunquam pervenire potuit scientia a Fide sejuncta.

**145. Responsio cuidam objectioni.** — Objici solet

immutabilitatem dogmatis cum libertate scientiae pugnare, et rationi valde indecorum esse ut verum amplecti, quod demonstrare non potest.

Sed quoad primum, respondemus libertatem scientiae ordinatam esse debere, in scientia autem ordinem consistere in eo quod recte dirigatur ad assequendam veritatem. Jamvero, quum Fides dicit: *hoc est verum*, *hoc est falsum*, nihil aliud facit, quam ordinare libertatem scientiae, atque impedire errorem.

Audiatur circa hanc materiam Concilium Vaticanum: «Tantum abest ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo scientiarum Domino profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum juvante ejus gratia perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt Fidei, occupent et perturbent». (Denz.-Bann., 1799).

Quoad secundum, dicimus impossibilitatem demonstrandi aliquam veritatem haberi ob limitationem mentis vel defectum mediorum ad inveniendam demonstrationem; jamvero si ex utroque capite est nobis impossibile demonstrare plures veritates ordinis naturalis ¿quo jure exigitur demonstratio veritatum ordinis supernaturalis ad eas admittendas? Caeterum hae veritates, quamvis superiores ratione, non sunt ipsi contrariae, non enim opponuntur ulli veritati naturaliter evidenti aut demonstratae.

**146. De praestantia Fidei respectu scientiae.** — Diximus superius Fidem et scientam differre ex *principio*, ex *objecto* et ex *motivo*. Praestantia Fidei respectu scientiae facile deducitur ex his tribus capitibus.

I. FIDES SCIENTIAE PRAESTAT QUOAD PRINCIPIUM. Quia

lux supernaturalis revelationis, unde procedit Fides, est excellentior lumine naturali rationis, unde scientia procedit.

II. FIDES ETIAM QUOAD OBJECTUM SCIENTIAE PRAESTAT. Quia objectum scientiae sunt solae veritates naturaliter assequibiles, objectum autem Fidei plures includit supernaturales.

III. FIDES QUOAD MOTIVUM EST QUOQUE PRAESTANTIOR SCIENTIA. Etenim motivum quo quiescit assensus Fidei est infallibilis auctoritas Dei, motivum autem scientiae est demonstratio facta ratione nostra, quae fallibilis est.

Ex dictis sequitur CERTITUDINEM FIDEI ESSE EXCELLENTIOREM CERTITUDINE SCIENTIFICA. Siquidem certitudo eo major est, quo excellentiore motivo nititur.

Tamen agnoscendum est quod SCIENTIA SUPERAT FIDEM QUOAD EVIDENTIAM. Nam veritates scientificae menti manifestantur evidentia intrinseca, qua carent veritates Fidei, siquidem hae non admittuntur propter rationes intrinsecas, sed propter auctoritatem.

**147. Corollarium.** — Facile eruitur ex doctrina tradita quod SCIENTIAE DEBENT SUBDI FIDEI. Etenim, semper ac oppositio habeatur inter aliquam propositionem, quae scientifica reputatur, et alteram fide tenendam, ita ut non possint ambae esse verae; quum evidens sit propositionem Fidei non posse esse falsam, siquidem absolute repugnat Deum revelare aliquid falsum; sequitur esse falsam illam propositionem, quae pro scientifica habebatur. Ac proinde scientiae debent rejicere quamlibet propositionem ut falsam, statim ac detegitur ipsam opponi alicui veritati Fidei.

# ONTOLOGIA

## NOTIONES PRAELIMINARES

**1. Definitio Ontologiae.** — ONTOLOGIA, ut jam diximus (Introd., n. 2), est illa pars Philosophiae realis, vel Metaphysicae, quae *agit de ente in genere, ac de proprietatibus communibus enti materiali et spirituali.* Ejus nomen derivatur ex graeco *on* (cujus genitivus est *ontos)*, quod idem valet ac *ens.*

**2. Objectum atque utilitas Ontologiae.** — I. Ex definitione, quam modo tradidimus, hujus partis Philosophiae, facile eruitur quodnam sit ejus objectum materiale et formale (v. Crit., n. 119). Objectum materiale est *quodlibet ens;* formale vero illa ratio abstracta, quam nomen *ens* significat.

II. Quamvis Ontologia non alium scopum sibi proponat, quam meram veritatis contemplationem, nihilominus ejus studium valde utile est; illas enim veritates exponit, quae magis generales et fundamentales sunt, et hoc ipso intellectum humanum magis perficiunt.

**3. Divisio Ontologiae.** — Eum ordinem perquirentes, in quo alumni quaestiones tractandas melius capere possint, Ontologiam in sex capita dividemus; quorum 1.$^{m}$, de notione entis aget, ac de primo principio metaphysico; 2.$^{m}$, de aliquibus praedicamentis et notionibus cum illis connexis; 3.$^{m}$, de causis, quas ens habere potest; 4.$^{m}$, de transcendentalibus entis attributis, et quaestionibus affinibus; 5.$^{m}$, de ente necessario et contingenti; 6.$^{m}$, denique, de stricta unitate et transcendentia formali conceptus entis.

# CAPUT I

## DE NOTIONE ENTIS ET DE PRIMO PRINCIPIO METAPHYSICO

**4. Declaratio notionis entis.** — I. Vocabulum ENS accipi solet non ut participium verbi *sum*, sed ut nomen substantivum, atque ita idem valet ac *aliquid*, exprimitque conceptum generalissimum inter omnes, quos habemus; de quacumque enim re dici potest illam esse *ens*, vel *aliquid;* ideoque hic conceptus vocatur *transcendentalis.*

II. Quum scientiae sua objecta considerent sub conceptibus universalibus et abstractivis, qui non exigunt existentiam actualem suorum objectorum (v. gr., quum philosophus asserit *leonem esse animal)*, atque etiam objectis ita consideratis praedicatum *ens*, vel *aliquid*, tribui possit; ideo philosophi conceptum *entis*, vel *ens*, per *aptum existere* declarare consueverunt. (V. Los., *Met.*, dp. 1 — tm. 10, p. 7).

III. Eo quod nomen *ens* antonomastice tribuatur *hypostasibus* (v. n. 24), vel etiam animabus separatis, quae rationem talium fere habent; alia entia designantur interdum ad majorem claritatem nomine *entitatum*. Nunc ab hac distinctione praescindimus, atque *ens* in tota generalitate accipimus.

IV. Conceptus generalissimus *entis*, eo ipso quod omnibus omnino rebus (etiam entitatibus) applicetur; definiri nequit per *genus* et *differentiam* (v. Dial., n. 22), sicut conceptus determinatis rerum speciebus convenientes definiuntur, juxta regulam traditam (v. Dial., n. 30, V).

**5. De oppositis enti.**—I. Enti (quod, etiam praecise acceptum ut *aptum existere*, vocatur *ens reale*, vel simpliciter tale) opponitur ENS RATIONIS, quod intentionaliter existit in intellectu, sed nequit extra ipsum dari.

II. Si ens accipitur *ut existens*, ipsi opponitur etiam NIHILUM seu NON-ENS, quod definiri potest *carentia realitatis*.

III. NIHILUM potest esse ABSOLUTUM vel RELATIVUM. Primum est *carentia* OMNIS *realitatis*, alterum *carentia* CUJUSDAM *realitatis*. Primum dari nequit extra intellectum, siquidem saltem Deus deficere non potest; sed utique alterum, etenim nosmetipsi aliquando non eramus, et, absolute loquendo, etiam quoad animas deficere possemus.

IV. Nihilum relativum inveniri potest in re existente, et tunc subdividitur in NEGATIONEM et PRIVATIONEM. Negatio est *carentia perfectionis in subjecto incapaci*, v. gr., *sensibilitatis in planta*. Privatio est *carentia perfectionis in subjecto capaci*, v. gr., *caecitas in homine*. (V. Los., *Met.*, dp. 4 — tm. 10, p. 249).

**6. De primo principio metaphysico.** — I. In genere PRIMA PRINCIPIA vocantur illae propositiones universales, seu ordinis idealis, quarum veritas sola comparatione terminorum innotescit, atque ideo ipsae demonstratione non egent, sed e contra in aliquibus earum omnis demonstratio proxime vel remote fundari debet (v. Dial., n. 67). Nunc autem quaerimus utrum inter haec ipsa principia aliquod agnosci possit, vel debeat, tamquam omnium primum.

II. Communis sententia cum Aristotele et Sancto Thoma hujusmodi primatum tribuit principio contradictionis, dicentis: *Nihil* (seu *nulla res) potest simul esse et non esse*, vel: *Nullum ens est et non est*.

**7.** THESIS. — **Principium contradictionis est primum principium metaphysicum.**

PROB. — Illud principium recte vocatur primum omnium, quod nullo alio roborari potest, ipsum vero caetera quoque prima principia quodammodo roborare valet. Atqui tale est principium contradictionis. Ergo ipsum est primum principium metaphysicum.

PROB. MIN. — Caetera prima principia, ut experientia patet, quodammodo roborantur per deductionem ad

impossibile, quae in principio contradictionis fundatur; ipsum autem nullo modo firmari potest hac deductione, quia nihil impossibilius inferri potest, quam sit illud quod in eo pronuntiatur (v. Crit., n. 49; et Suar., *Met.*, dp. 3, s. 3, n. 9).

**8. De primo principio juxta Kant.** — I. Citatus auctor primum principium metaphysicum asserit hoc esse: *praedicatum alicui rei repugnans, ipsi non convenit.* Porro quamquam ex dictis sufficienter appareat hujusmodi principium non esse primum, hoc ipsum amplius declarabimus.

Principium kantianum vel praesupponit principium contradictionis vel non: in priori casu, non est primum principium; in altero casu, praedicatum repugnans subjecto potest ipsi convenire et non convenire, siquidem nescitur esse et non esse ejusdem rei invicem excludi.

II. Kant contra nostrum principium haec duo opponit: ipsum non esse absolutum sed modale, et in ipso adverbium *simul* redundare. Sed facile respondetur: primum principium debere esse absolutum, quatenus non potest ab ulla conditione dependere, sed nihil impedire quominus propositione modali exprimatur; atque sine adverbio *simul*, saltem implicito, principium contradictionis esse falsum, etenim res contingentes possunt esse uno tempore et non esse in alio (v. Balmes, *Filos. fund.*, l. 1, c. 24).

# CAPUT II

## DE ALIQUIBUS PRAEDICAMENTIS ET NOTIONIBUS CONNEXIS

**9. Status quaestionis et divisio capitis.** — I. Ut ex Dialectica scimus (nn. 24-26) praedicamenta sunt decem et vocantur: *substantia*, *quantitas*, *qualitas*, *rela-*

*tio*, *actio*, *passio*, *locus*, *situs*, *tempus* et *habitus*. Ex his, omnia praeter substantiam sunt *accidens (logicum*, non semper *physicum*, praesertim respectu subjecti, cui logice applicantur), ac proinde *ens*, prius quam in decem praedicamenta, dividi posset in *substantiam* et *accidens*, et deinde *accidens* subdividi in novem praedicamenta; attamen divisio entis in illa decem membra dici solet immediata per exclusionem generis immediatioris, siquidem non admittitur notio proprie generica *accidentis* (vel quia est inclusa in notionibus ipsam dividentibus, vel quia aliter est analoga). (V. Los., *Met.*, dp. 3 — tm. 10, pp. 175 et 202).

II. Quum, ex una parte, de *quantitate*, *qualitate*, *loco*, *situ* et *tempore*, melius tractari possit in Cosmologia, de *actione* et *passione* in capite ad causas destinato, ac de praedicamento *habitus* (qui sumitur pro *ornatu corpori superposito*, non pro illa specie *qualitatis*, de qua Psychologia tractat) vix quidquam dici possit (v. Los., *Met.*, dp. 3, c. 6, n. 127 — tm. 10, p. 247), ex alia vero parte nunc opportunum sit alias notiones tradere; hoc caput in quatuor articulos dividemus: in 1.°, agemus de substantia et accidenti physico; in 2.°, de actu, potentia et mutatione; in 3.°, de hypostasi et persona; in 4.°, de relatione.

## ARTICULUS I

### DE SUBSTANTIA ET ACCIDENTI PHYSICO

**10. Declaratio conceptus substantiae et accidentis physici.** — I. Ut diximus in Dialectica (n. 25), statim ac quis attendit ad ea, quae sive intra semetipsum, sive in mundo externo eveniunt, advertit dari quaedam entia, vel potius quasdam entitates, natura sua existentes in entibus ab illis distinctis, tamquam perfectiones vel complementa ipsorum, v. gr., calor, lux, cogitationes, etc.; atque alia entia, natura sua existentia in se,

scilicet non compenetrata cum distincto ente tamquam perfectio seu complementum ejus, v. gr., ferrum, arbor, homo. Illae igitur entitates vocantur ACCIDENTIA; atque entia, quibus illae insunt, SUBSTANTIAE.

Porro ipsas substantias, saltem saepe, constitui per compenetrationem duplicis elementi substantialis, patet ex eo quod in viventibus agnosci omnino debet, ut probatur in Cosmologia, atque etiam in Psychologia, aliquid superius omnibus substantiis inorganicis, quod proinde accidens esse nequit; hinc autem sequitur, saltem in viventibus, dari intimam compenetrationem duarum entitatum substantialium, et consequenter substantiam dividendam esse in *completam* et *incompletam*.

II. Substantia definiri solet *ens per se*, accidens vero *ens in alio;* unde differentiae quibus contrahitur ens ad substantiam vel accidens vocari consueverunt *perseitas* et *inalietas*. Porro, quid significet *in alio*, quid *per se* (seu *non in alio)* facile intelligeretur si non essent in Natura substantiae incompletae, quarum aliae sunt in aliis, ut diximus; substantia enim dici posset *ens naturaliter existens in se*, accidens vero *ens naturaliter exigens existere in alio*. Sed substantiae incompletae cogunt nos ad quaerendum subtilius discrimen inter substantiam et accidens. Dicimus ergo, accidens esse *ens natura sua* PRINCIPALITER *ordinatum ad perficiendum aliud adaequate distinctum*, substantiam vero *ens natura sua non ordinatum* PRINCIPALITER *ad perficiendum aliud adaequate distinctum*.

III. In his definitionibus magni momenti est adverbium *principaliter*, etenim sive substantia incompleta, sive accidens, v. gr., *anima humana* et *cognitio*, ordinantur ad perfectionem alterius entis vel entitatis *adaequate* distinctae, atque ad constituendum cum ipsa totum quoddam *(hominem, cognoscens)* a quo non distinguuntur adaequate; sed potissimum munus accidentis est perficere substantiam ab ipso adaequate distinctam, et potissimum munus substantiae incompletae est con-

stituere integrum subjectum substantiale ab ipsa inadaequate distinctum. Substantiam vero completam (quae sola directe *praedicamentalis* est) patet etiam adimplere definitionem traditam, etenim nec secundario ordinatur ad perficiendam aliam entitatem *adaequate* distinctam (v. Los., *Met.*, dp. 3, c. 1 — tm. 10, p. 176).

IV. Quamvis juxta etymologiam vox *substantia* (a *substando*) significet eam accidentibus subesse, hujusmodi conceptus relativus non est essentialis substantiae, siquidem convenire nequit substantiae increatae seu infinite perfectae.

**11. Falsae definitiones substantiae.** — I. Descartes statuit: *nomine substantiae nihil aliud intelligere possumus nisi ens ita existens, ut nullo alio indigeat ad existendum.*

Hujusmodi definitio admitti nequit: 1.°, quia solum ens necessarium non indiget causa ad existendum, sed praeter ipsum dantur substantiae contingentes; 2.°, quia consequenter ducit ad pantheismum, sive ad non admittendam nisi unam substantiam, scilicet, increatam.

Nec prodest dicere hanc esse definitionem substantiae antonomastice sumptae, seu imparticipatae; nam ad vitandam confusionem et falsitatem tradi debet definitio omnino generalis.

II. Spinoza ait: *substantiam intelligo quod est in se et concipitur per se*, scilicet, *illud cujus conceptus nullatenus includit conceptum alterius rei.*

In prima parte hujus definitionis intelligit Spinoza *esse in se*, quod habet in se ipso ultimam rationem suae existentiae; confundit ergo substantiam cum ente necessario. Altera vero pars (scilicet, substantiam concipi, quin alia res concipiatur) potest significare substantiam *posse* concipi absolute, vel *debere* concipi ut ens absolutum: prior sensus est verus, etenim ad concipiendum leonem, arborem, vel animam, ut substantiam, non est necesse attendere ad suam causam; sed secundus sensus, a Spinoza intentus, est falsus, nam

substantiae creatae non sunt ens absolutum, seu nullo alio indigens ad existendum.

Cousin, magis explicite loquens quam caeteri pantheistae, definit substantiam: *ens nihil supponens extra se in ordine ad existendum.*

III. Leibniz, ad refellendum atomismum cartesianum et occasionalismum mallebranchianum, mentionem fecit activitatis in definitione substantiae, dicens eam esse *ens activitate praeditum.*

Etiam haec definitio falsa est. Etenim nec omnis substantia activitate gaudere debet, v. gr., materia prima ab scholasticis admissa; nec omne ens activitate praeditum est substantia, dantur enim accidentia activa, v. gr., electricitas.

Wolff, corrigens definitionem sui magistri Leibniz, dixit: *substantia est subjectum permanens modificabile per accidentia.* Sed neque admitti potest hujusmodi definitio, Deum enim nulla accidentia modificare valent.

IV. Praetermitti nequeunt definitiones a sensistis et positivistis traditae. Locke, dux priorum, definit substantiam: *complexus qualitatum sensibilium;* positivistae autem: *complexus motuum et qualitatum.* Sed in utraque definitione confunditur substantia cum accidentibus, et praeterea negantur substantiae spirituales.

**12. Divisiones substantiae.** — I. Substantia dividitur in SIMPLICEM et COMPOSITAM. Prior *non constat partibus physicis*, v. gr., *Deus*, — *angelus*, — *anima humana;* altera *constat partibus physicis*, v. gr., *homo*, constans anima et corpore, atque hoc ultimum constans pluribus membris.

II. Dividitur in COMPLETAM et INCOMPLETAM. Est completa, *quae naturaliter nequit conjungi physice et directe cum alia entitate substantiali*, v. gr., *homo;* incompleta autem, *quae naturaliter debet conjungi cum alia entitate substantiali*, v. gr., *anima humana*, quae naturaliter debet uniri corpori, saltem initio suae existentiae.

**13. De objectivitate ideae substantiae et accidentis.** — I. Negant conceptum nostrum substantiae habere valorem objectivum, schola sensista, schola positivista atque Kant cum schola transcendentali germanica. Fundamentum eorum in eo est, quod, ut ajunt, observatio et experimentatio tantum notitiam dare possunt coëxistentiae vel successionis phaenomenorum, ac proinde substantiam vel *substratum* eorum est merum figmentum mentis.

II. Descartes, e contra, censet substantias experiri mutationes illas, quas sensus nostri testantur, quin ulla entitas seu realitas producatur vel destruatur, ideoque negat dari accidentia.

III. Demum scholastici omnes agnoscunt esse veras substantias, easque entitatibus accidentalibus affici. Immo, censent, ut videbimus, augustissimum mysterium Eucharistiae cogere ad admittendum aliquod accidens non modo distinctum, sed etiam separabile ab omni substantia.

IV. Accidentia, quae per miraculum separari possunt a substantia, vocantur ABSOLUTA; quae nullo modo separari possunt, denominantur MODALIA. Plures philosophi, quorum opinionem sequimur, admittunt insuper PUROS MODOS, scilicet, entitates tenuissimas (possunt nihilominus *substantiales* esse), quae tantum inserviunt ad hoc, ut subjectum aliquod de facto suscipiat aliquam denominationem non semper ipsi convenientem, et quae primo aspectu non videtur exigere ullam entitatem specialem; talis est, v. gr., *actio* distincta a causa et ab effectu (v. n. 66; et Los., *Met.*, dp. 3, nn. 19-26 — tm. 10, p. 185).

**14.** THESIS 1.ª — **Idea substantiae habet valorem objectivum.**

PROB. 1.° — Nisi quis neget omnem realitatem objectivam, fateri debet quamlibet earum vel ordinari principaliter ad perfectionem alterius entitatis adaequate distinctae, vel non; in hoc altero casu, illa erit substantia; in primo casu, rediret eadem disjunctio

respectu illius alterius entitatis, et ita porro, donec sistere possemus in aliqua substantia.

PROB. 2.° — In Psychologia demonstratur animam humanam esse substantiam spiritualem.

**15.** THESIS 2.ª — **Admitti debent accidentia realiter distincta a substantia, et aliquod eorum esse ab hac realiter separabile.**

1.ª PARS, PROB. — Intra nos experimur singulis momentis diversas cogitationes, sensationes, affectus, determinationes voluntatis, etc. Hoc posito, ita arguimus:

Omnes hae modificationes aliquid reale important ab anima adaequate distinctum, siquidem haec semper eadem permanet; jamvero sensus communis plane agnoscit has realitates principaliter ordinari ad perfectionem physicam animae; ergo sunt accidentia realiter distincta ab anima.

2.ª PARS, PROB. (argum. philos.-theolog.) — Ut Fides docet, in Sacramento Eucharistiae nihil remanet substantiae panis et vini; atqui remanet aliquid reale et objectivum, quod ante consecrationem pertinebat ad panem et vinum; ergo remanet aliquod accidens panis et vini, ab eorum substantia separatum.

PROB. MIN. — Post consecrationem experimur easdem sensationes coloris, saporis, etc., quas experiebamur ante consecrationem; ergo remanet earum causa realis et objectiva, quae ante consecrationem erat sine dubio aliquid ad panem et vinum pertinens (1).

Nec prodest dicere cum Descartes has sensationes produci a solo Deo. — 1.° Quia haec hypothesis cartesiana fundatur in ejus falsa opinione quod extensio sit de essentia corporum, unde infert species sacramentales fore substantias corporeas, si earum extensio esset aliquid reale. — 2.° Quia sensus Ecclesiae et fidelium fere omnium attribuit speciebus sacramentalibus veram

(1) Secluso hoc mysterio, tantum ostendi posset notionem traditam accidentis cohaerere cum separabilitate *supernaturali* ipsius; hoc autem evidentissimum est (v. n. 17).

realitatem, et quidem jam existentem ante consecrationem, eo quod Fides non corrigat in hac parte testimonium sensuum; ac proinde, si ita non esset, Deus reliquisset Ecclesiam in errore constanti et invincibili, quod nullo modo admitti potest. (V. S. Th. 3 p. q. 17, et *Contra Gentes*, l. 4, cc. 63 et 65).

## OBJECTIONES

**16. Objectio 1.ª** — Si accidentia realiter distinguerentur a substantia, haec posset existere sine ullo accidenti; atqui repugnat substantia existens sine ulla modificatione seu modo essendi; ergo accidentia non distinguuntur realiter a substantia.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: sine ullo omnino, NEGO (loquimur de substantiis creatis); sine ullo, pro quo, saltem in specie accepto, non probetur exceptio, CONC. — Etiam DIST. MIN.: sine modificatione *logica*, CONC.; *physica*, SUBDIST.: sine ulla omnino, NEGO; sine ulla, pro qua, saltem in specie accepta, non probetur exceptio, CONC. — Si admittitur, v. gr., actionem productivam esse accidens modale adhaerens rei productae (v. n. 66), sequitur nullam substantiam creatam posse dari separatam ab omni accidenti, siquidem omnes debent produci et jugiter a Deo conservari aliqua actione. — Praeterea objectio confundere videtur modificationes *physicas*, quae habentur per accidentia, cum modificationibus *logicis*, quae habentur per differentias specificas quibus rationes genericae contrahuntur, sine ulla distinctione reali in singulis rebus.

**17. Objectio 2.ª** — Repugnat accidens esse substantiam; atqui accidens a substantia separatum esset substantia, siquidem non ordinaretur ad perfectionem alterius entitatis; ergo repugnat ullum accidens existere separatum a substantia.

RESPONSIO. — CONC. MAJ. et NEGO MIN. cum probat.; quia accidens separatum a substantia pergeret esse

entitas *natura sua* ordinatum ad perfectionem alterius, quamvis *de facto* propter interventum divinae potentiae non esset alterius perfectio. — In memoriam tamen revocandum videtur accidentia *modalia* non posse a subjecto separari.

**Instantia.** — Accidens a substantia separatum produci vel conservari deberet actione eductiva vel actione creativa (v. n. 65, III); atqui neutrum dici potest; ergo accidens a substantia separatum dari nequit.

RESPONSIO. — NEGO MIN. — Accidens a substantia separatum produceretur vel conservaretur *per miraculum* actione *creativa*, qua Deus *in genere causae efficientis* (v. nn. 44, II, et 53) suppleret influxum causae materialis extrinsecae (1).

## ARTICULUS II

### DE ACTU, POTENTIA ET MUTATIONE

**18. Declaratio notionum actus et potentiae (passivae).** — I. Accidens respectu substantiae, et generaliter loquendo entitas quaelibet alteri adveniens tamquam perfectio seu complementum, dicitur ACTUS illius; substantia vero respectu accidentis, et magis generaliter quaelibet entitas alteram suscipiens tamquam perfectionem seu complementum, dicitur POTENTIA hujus. Haec autem potentia denominatur *passiva*, ut distinguatur a potentia *activa* causae efficientis (v. n. 53, II).

II. Ex dictis sequitur hujusmodi *actum* et *potentiam* habere correlationem quamdam, similem illi quae habetur inter patrem et filium; et aliquo pacto *ens* dividi posse in *actum* et *potentiam* (sicut homines in patres et filios), quamvis eadem entitas possit esse actus

(1) Productio et conservatio tantum distinguuntur quatenus prior importat in obliquo carentiam rei, altera vero existentiam illius, pro instanti praecedente.

et potentia respectu diversarum, ac proinde membra dividentia non omnino sese excludant.

III. Ens capax alicujus actus, denominatur POTENTIALE; ens autem adeo perfectum ut nullius actus superadditi sit capax, dicitur ACTUS PURUS.

IV. Hi termini, *actus* et *potentia*, analogice applicantur differentiis specificis et rationibus genericis, quas illae contrahunt; ideoque dici solet *rationalitatem* esse actum *animalis*, et *animal* esse potentiam respectu rationalitatis, quamvis animal habens de facto rationalitatem non distinguatur realiter ab illa. Ad majorem claritatem rationes genericae respectu suarum differentiarum dicuntur *potentiae logicae*.

**19. Declaratio conceptus mutationis.** — Communiter dicitur aliquod ens MUTARI, dum transit ex uno statu in alium, v. gr., a frigido ad calidum; ac proinde MUTATIO (vel *motus*, ut dicere solebant scholastici antiqui) definiri debet: *transitus entis ab uno statu in alium*. Juxta hanc definitionem, mutatio includit: 1.°, aliquod ens aliquatenus permanens; 2.°, terminum initialem, seu *a quo*, scilicet, statum in quo versabatur ens antequam inciperet mutari; 3.°, terminum finalem, seu *ad quem*, scilicet, statum in quo remanet ens finita mutatione; 4.°, transitum vel seriem statuum in quibus versatur ens inter terminum *a quo* et terminum *ad quem*. (V. Los., *Phys.*, tr. 3, dp. 1 — tm. 6, p. 166).

**20. Definitio aristotelica mutationis.** — Aristoteles tradidit hanc profundam definitionem mutationis: *motus est actus entis in potentia prout in potentia;* eamque egregie declaravit Sanctus Thomas his verbis:

«Aliquid est in actu tantum, aliquid vero in potentia tantum, aliquid vero medio modo se habens inter potentiam puram et actum perfectum. Quod igitur est in potentia tantum, nondum movetur; quod autem jam est in actu perfecto, non movetur, sed jam motum est. Illud igitur movetur, quod medio modo se habet inter puram potentiam et actum; quod quidem partim est in potentia, partim in actu, ut patet in alteratione. Quum

enim aqua est solum in potentia calida, nondum movetur; quum vero est jam calefacta, terminatus est motus calefactionis; quum vero jam participat aliquid de calore sed imperfecte, tunc movetur ad calorem; nam quod calefit, paulatim participat calorem, magis ac magis. Ipse igitur actus imperfectus caloris in calefactibili existens, est motus; non quidem secundum id quod actu tantum est, sed secundum quod jam in actu existens, habet ordinem in ulteriorem actum; quia si tolleretur ordo ad ulteriorem actum, ipse actus quantumcumque imperfectus, esset terminus et non motus; sicut accidit quum aliquid semiplene calefit. Ordo autem ad ulteriorem actum competit existenti in potentia ad ipsum. Et similiter, si actus imperfectus consideretur tantum ut in ordine ad ulteriorem actum, secundum quod habet rationem potentiae, non habet rationem motus sed principii motus; potest enim incipere calefactio, sicut a frigido, ita et a tepido. Sic igitur actus imperfectus habet rationem motus, et secundum quod comparatur ad ulteriorem actum ut potentia, et secundum quod comparatur ad aliquid imperfectius, ut actus. Unde neque est potentia existentis in potentia, neque est actus existentis in actu, sed est actus existentis in potentia; ut per id, quod dicitur actus, designetur ordo ejus ad anteriorem potentiam; et per id, quod dicitur in potentia existentis, designetur ordo ejus ad ulteriorem actum» (Physic., l. 3, lect. 2).

**21. Divisiones mutationis.** — I. Mutatio dividi solet in INTRINSECAM et EXTRINSECAM, quamvis haec secunda tantum analogice sit mutatio. Prior, quae est mutatio proprie dicta, *physice afficit ipsum ens quod mutari dicitur*, v. gr., mutatio aquae, quum calefit; mutatio extrinseca *consistit in successiva susceptione diversorum praedicatorum propter mutationem alteri enti intrinsecam*, v. gr., si aqua A transit a magis calida ad minus calidam, quam aqua B, propter calefactionem hujus.

II. Mutatio intrinseca subdividitur in SUBSTANTIA-

LEM et ACCIDENTALEM. Est substantialis, *si in termino* AD QUEM, *habetur alia substantia quam in termino* A QUO; est autem accidentalis *si in utroque termino substantia est eadem et tantum habetur diversitas ratione alicujus accidentis*. Sic, in analysi vel synthesi chimica, materia mutatur substantialiter; et in calefactione, aqua mutatur accidentaliter.

III. Mutatio intrinseca subdividitur etiam in PHYSICAM et LOGICAM. In mutatione physica, *ens* quod mutari dicitur, *existit* physice in utroque termino; mutatio logica *consistit in eo quod ens transeat a non existendo ad existendum, vel e converso.*

**22. Divisio entis in immutabile et mutabile.** — Ens dicitur MUTABILE vel IMMUTABILE, prout possit transire vel non ab uno statu in alium; ac proinde MUTABILITAS est *capacitas transeundi ab uno statu in alium*, IMMUTABILITAS e contra *fixitas excludens transitum ab uno statu in alium*. Porro immutabilitas potest esse ABSOLUTA vel RELATIVA, prout excludat quemlibet omnino transitum intrinsecum ab uno statu in alium, vel aliquem dumtaxat. Dicimus *intrinsecum*, quia ex sensu communi immutabilitas absoluta cohaeret cum mutatione extrinseca.

**23.** THESIS. — **Ens physice et intrinsece mutabile est potentiale; ens autem excludens omnem mutationem physicam et intrinsecam est actus purus.**

1.ª PARS, PROB.— Ens physice et intrinsece mutabile potest habere vel non habere aliquam perfectionem; atqui ens potens habere vel non habere aliquam perfectionem, est potentiale; ergo ens physice et intrinsece mutabile est potentiale.

2.ª PARS, PROB. — Ens absolute immutabile physice et intrinsece nullam perfectionem potest adquirere vel amittere; atqui ens quod nullam perfectionem potest adquirere vel amittere, caret omni potentialitate, ac proinde est actus purus; ergo ens omnem mutationem physicam et intrinsecam excludens, est actus purus.

## ARTICULUS III

### DE HYPOSTASI ET PERSONA

**24. Hypostasis** est vox graeca (derivata ex *hypo*, sub, et *histemi*, esse). Notio, seu res, quam ipsa significat, a pluribus ita declaratur, ut praejudicetur quaestio circa ejus constitutiva, in qua opiniones philosophorum et theologorum dividuntur; sed hoc, ut patet, laudandum non est. Hypostasis igitur, juxta etimologiam nominis et in qualibet opinione, accipitur pro eodem ac *subjectum antonomastice sumptum*, et definiri potest: *illud quod tantum potest esse subjectum in praedicatione directa* (v. Dial., n. 40, V), quae frequentior et naturalior est, quam praedicatio indirecta. Haec acceptio vocis *hypostasis* in eo fundatur quod, metaphorice loquendo, subjectum propositionis praedicato *subest*. Hinc eruitur notionem hypostasis non convenire accidentibus, neque substantiis incompletis, immo neque ipsis substantiis completis *universaliter acceptis*, siquidem possunt esse praedicata in propositione directa, v. gr., *Petrus est albus*, — *est corporeus*, — *est homo;* atque ideo dicitur hypostasim esse *absolute incommunicabilem* (sive tamquam accidens, sive tamquam pars, sive tamquam ratio universalis), atque esse *sui juris*, seu independens, in linea physica. Attamen inferri nequit ex dictis, hypostasim esse *substantiam absolute incommunicabilem*, sicut ex eo quod, v. gr., absolute repugnet hominem solutum esse conjugatum, non sequitur illum esse hominem incapacem conjugii. Et juxta plures theologos, substantiae creatae, quae de facto sunt hypostases, tantum habent *in ratione substantiae* incommunicabilitatem *naturalem* (saltem respectu divinarum Personarum), quantumvis absolute repugnet illas communicari *retenta ratione hypostaseos*.

Abstinendum est, ergo, a definitione essentiali hy-

postaseos danda a priori, vel ad summum dici potest ipsam esse *substantiam saltem naturaliter incommunicabilem et de facto incommunicatam.* Talis est substantia, qua *Petrus*, v. gr., adaequate constituitur.

Hypostasis saepe vocatur *suppositum*, sed haec vox minus placet, quia passim adhibetur in alio sensu. (V. Los., *Phys.*, tr. 1, dp. 7, c. 4 — tm. 5, p. 133).

**25. Opiniones circa distinctionem inter hypostasim et naturam.** — NATURA saepe sumitur pro eodem ac *ratio specifica*, v. gr. quum quaeritur *cujus naturae* sit talis res; sed nunc accipitur pro illa entitate reali, *quae ut forma logica* (v. Dial., n. 13, II) *hypostasim in determinata specie constituit.*

Praeter naturam, hoc sensu acceptam, requiri aliquid amplius (sive positivum, sive negativum) ad habendam hypostasim creatam, colligitur ex mysterio Incarnationis; Humanitas enim, qua Verbum Divinum *est homo*, non potest habere rationem hypostasis, siquidem vere praedicatur in propositione directa. Hoc supposito, juxta plures, praeter naturam substantialem requiritur (in creatis) ad hypostasim habendam, specialis entitas modalis; juxta alios, existentia propria *realiter distincta a natura;* demum, juxta alios, mera negatio cujuslibet unionis, qua natura constitueret supernaturaliter (sine miraculo fieri non posset) ad modum partis aliquod totum substantiale. Sed haec ad theologos pertinent (1).

(1) Nobis magis placet ultima opinio (quae aliunde est simplicior, atque conformior rationi naturali sibi relictae), Ecclesia enim docet Humanitati Christi nihil deesse, quod a natura caeterorum hominum per se habeatur. Praeterea illi auctores, qui requirunt aliquid positivum a natura distinctum, potissime in eo fundantur, quod aliqua Concilia definierunt Verbum Divinum assumpsisse Humanitatem et non hominem; hoc autem definire ipsis videtur ridiculum, si homo (pura creatura) idem est ac humanitas non assumpta (v. Los., *Met.*, dp. 3, c. 2 — tm. 10, p. 191). Sed nullo modo ridicula est illa definitio contra haereticos defendentes assumptionem *hominis* (per unionem mere moralem cum Verbo), praesertim quum ipsa Concilia non declaraverint explicite idem esse naturam creatam non assumptam et hypostasim. Secus pari jure censeri posset ridicula illa definitio in sententia opposita, siquidem homo (pura creatura) esset humanitas praedita quadam entitate reddente assumptionem metaphysice impossibilem, ut in hac opinione dicitur. — Quod

**26. Persona,** juxta celebrem definitionem Boëtii, est *rationalis naturae individua substantia*, seu paucioribus verbis *hypostasis naturae rationalis* (vel intellectivae); unde infertur omnem personam esse hypostasim, sed non vice versa. Et nihil aliud de persona dicendum censemus, siquidem habere naturam rationalem (seu intellectivam) non mutat notionem hypostasis, quam dedimus.

**27. Personalitas** ex se significare videtur *formam logicam qua aliquod ens est persona*, seu habet *omnes* conditiones requisitas ad notionem personae; sed in praxi auctores scholastici ea voce illud solum designant, quod cum natura rationali (vel intellectiva) personam constituit. Et similiter vocatur *hypostaseitas* in genere, illud quod cum natura (sive rationali, sive non) constituit hypostasim (1).

Inter recentiores, plures dicunt personalitatem consistere in *conscientia*, quod quidem recte intelligi posset, scilicet, si sensus esset hanc requiri et sufficere ad agnoscendum aliquam *hypostasim* esse *personam;* sed nonnulli videntur contendere quamlibet substantiam, eo ipso quod sit conscia, personam esse; immo, aliqui negant omnem personam aut substantiam distinctam ab actibus conscientiae. Hoc ultimum, cujus falsitas satis patet ex dictis, uberius refutatur in Psychologia. Nunc statuenda videtur sequens thesis.

**28.** THESIS — **Personalitas completa non consistit in sola conscientia.**

---

attinet ad naturam divinam, vel Deum *ut unum:* 1.° Evidenter apparet non esse hypostasim, juxta notionem traditam; etenim quum identificetur cum Patre, Filio et Spiritu Sancto, praedicari potest de his *ad modum universalis*, dicendo, v. gr., *Pater est Deus.* 2.° Theologi ostendunt hypostases divinas, videlicet, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, constitui per divinam naturam et per aliquod praedicatum relativum ab ipsa logice distinctum.

(1) Interdum hypostaseitas vocatur *subsistentia;* sed haec vox est valde ambigua, etenim saepe accipitur ut aequivalens *hypostasi*, vel etiam *existentiae*, praesertim aliquo modo stabili et independenti. Ideo plures theologi admittunt in Deo subsistentiam absolutam, quae nec est personalitas, nec hypostaseitas, praeter tres subsistentias relativas, quae sunt personalitates et hypostaseitates.

PROB. 1.° — Personalitas completa debet esse ratio formalis qua ens aliquod sit hypostasis, siquidem omnis persona formaliter est hypostasis; atqui conscientia non confert omnes characteres, quos exigit notio hypostasis (v. n. 24); ergo personalitas completa non consistit in sola conscientia. Ideo anima a corpore separata, neque est persona, neque hypostasis, quamvis habeat conscientiam.

PROB. 2.° (contra Fichte). — Juxta hunc philosophum, persona producitur per ipsum actum, quo est conscia sui, dicit enim: «το *ego* ponitur a se ipso, in quantum cognoscitur; et cognoscitur, in quantum ponitur a se ipso». Jam vero, hoc assertum incurrit aperte in circulum vitiosum; et praeterea ex illo deducitur personam humanam esse ens necessarium, siquidem habet in se ipsa rationem sufficientem suae existentiae, atque esse ens contingens, quia produci debet; ac proinde contradictionem involvit, ut ipse Fichte agnovit.

PROB. 3.° — Si persona nihil aliud est, quam substantia habens conscientiam, natura divina ut talis est persona, siquidem conscientiam habet; atque in Christo dantur duae personae, nam in ipso inveniuntur natura divina et natura humana, quae sine dubio distinctas conscientias habent. Hoc autem Fidei contradicit, juxta quam natura divina, ut talis, non est persona, et in Christo nonnisi una habetur.

## ARTICULUS IV

### DE RELATIONE

**29. Declaratio conceptus relationis.** — I. RELATIVUM dicitur *illud praedicatum quod nequit tribui suo subjecto, quin aliud (terminus* vocatum) *in consideratione habeatur;* v. gr., *pater*, — *majus*, quorum termini sunt

*filius* et *minus*. RELATIO autem est *ratio objectiva propter quam subjectum vere meretur praedicatum relativum*, v. gr., *paternitas*, — *majoritas*. Dicimus *vere meretur*, quia aliqui auctores, quos postea refutabimus, contendunt relationem proprie dictam, seu rationem *vere merendi* praedicatum relativum, esse entitatem modalem subjecto inhaerentem, et omnino distinctam a ratione propter quam vulgo tribuitur praedicatum relativum, ab ipsis designata nomine *fundamenti* seu *rationis fundandi*.

II. Haec immediata ratio objectiva, propter quam praedicatum relativum subjecto tribuitur (sive sit ipsa relatio, sive non), aliquando habetur in solo subjecto, v. gr., in relatione *cognoscentis* ad cognitum ; aliquando in solo termino, v. gr., in relatione *cogniti* ad cognoscens ; aliquando in utroque, v. gr., in relatione *majoris* ad minus.

III. In relatione considerari solet *esse in* et *esse ad*. *Esse in* consistit in eo quod relatio subjectum afficit vel in ipso est, saltem logice ; *esse ad*, in eo quod relatio *designat*, vel, ut metaphorice loquendo dici solet, *respicit* determinatam rem tamquam terminum.

IV. Quum subjectum relationis nequeat cognosci ut tale, quin etiam terminus aliquo modo cognoscatur, usitatum est apud philosophos hoc effatum : *correlativa sunt simul cognitione*. (V. Los., *Log.*, tr. 4, c. 3 — tm. 3, p. 114).

**30. Divisiones relationis.** — I. Relatio dividi solet in REALEM et RATIONIS. Relatio realis *existit independenter a consideratione intellectus nostri*, v. gr., illa quae datur inter patrem et filium ; relatio autem rationis *fundatur vel consistit in nostro modo concipiendi rem*, v. gr., illa quae datur inter genera et species. Facile intelligitur hanc divisionem non esse univocam (v. Dial., n. 33, IV), et in praedicamento *relationis* solam realem includi.

Etiam aliqui admittunt relationem *secundum dici* (in oppositione ad quam relatio realis dicitur *secundum*

*esse)*, quae tunc datur, quum res in se absoluta terminis comparativis explicatur, quin ipsi attribuatur ex parte objecti ulla relatio, sive vera, sive ficta.

II. Relatio etiam dividitur in MUTUAM et NON MUTUAM. Prima *locum habet quum terminus etiam refertur subjecto*, v. gr., relatio inter patrem et filium; altera (quae a pluribus non admittitur) datur (vel daretur), quum terminus non refertur subjecto.

Relatio mutua potest esse AEQUIPARANTIAE, seu ejusdem nominis in utroque subjecto, v. gr., relatio aequalis ad aequale; vel DISQUIPARANTIAE, seu diversi nominis in unoquoque, v. gr., relatio majoris ad minus.

III. Dividitur quoque relatio in TRANSCENDENTALEM et PRAEDICAMENTALEM. Quamvis non omnes auctores consentiant, videtur dicendum illam esse praedicamentalem, quae potest et debet includi in praedicamento relationis, ad quod requiritur eam *distingui saltem partialiter a subjecto*, siquidem debet esse accidens logicum (physicum, vel non) ipsius subjecti. Hinc autem sequitur esse transcendentalem illam *quae adaequate identificatur cum subjecto*. Hoc sensu transcendentalis est relatio creaturae ad Creatorem; atque substantiae incompletae, vel etiam completae, ad suum complementum substantiale, vel ad sua accidentia.

IV. Aristoteles divisit relationes in tres classes seu genera. Illae, quae ad primum genus pertinent, *fundantur vel consistunt in convenientia aut disconvenientia in essendo*, v. gr., relatio majoris ad minus. Relationes secundi generis *fundantur vel consistunt in actione et passione* (physica, intentionali aut morali); v. gr., illae quae dantur inter producens et productum, inter cognoscens et cognitum, inter superiorem et subditum. Ad tertium genus pertinent relationes *quae dantur inter mensuram et mensurabile*, ut ajebat Aristoteles, scilicet inter res quae sibi ad invicem correspondent, sed physice dissimiles sunt, v. gr., inter cognitionem et objectum.

**31. Conditiones relationis realis.** — Ut detur rela-

tio realis quatuor conditiones requiruntur: 1.ª, *subjectum debet existere*, quia quod est nihil, ad nihilum referri potest; 2.ª, *entitas in qua relatio consistit, debet etiam existere a parte rei* (saltem quoad rectum; v. Crit., n. 21, ad 4.m), secus relatio consisteret vel fundaretur in nostro modo concipiendi, ac proinde non esset realis, sed rationis; 3.ª *si relatio est praedicamentalis, et non intentionalis, terminus debet in aliquo tempore existere*, quia existentia ejus in aliquo tempore requiritur et sufficit, ut habeatur ratio tribuendi praedicatum relativum, ut patet in relatione *posterioris Caesare* (1); 4.ª, *subjectum et terminus debent distingui realiter*, quia nemo dicit aliquam rem ad semetipsam referri.

**32. Opiniones circa relationem.** — Juxta plures auctores, posita tota ratione objectiva, propter quam tribuitur praedicatum relativum (quae saepe habetur partim in subjecto, partim in termino) exoritur in subjecto entitas quaedam specialis, non habens aliud munus quam *respicere* terminum, et in hac consistit relatio. Alii relationem reponunt in adaequata illa ratione objectiva, etsi partim inveniatur in termino. Demum alii censent relationem tantum constitui illa ratione objectiva quatenus in subjecto habetur.

**33.** THESIS.—**Relatio adaequate identificatur cum ratione objectiva propter quam tribuitur praedicatum relativum.**

PROB. — Relatio non est aliquid superveniens rationi objectivae propter quam praedicatum relativum tribuitur, neque pars hujus rationis; ergo adaequate identificatur cum ipsa.

PROB. 1.ª P. ANTEC.— Non sunt multiplicandae entitates sine necessitate; atqui nulla est necessitas admittendi entitatem specialem, quae superveniat illi rationi objectivae, ut in ipsa reponatur relatio; ergo

(1) Hinc apparet quam inexacte dicatur ab aliquibus *correlativa esse simul tempore et natura.*

relatio non est aliquid superveniens rationi objectivae, propter quam tribuitur praedicatum relativum.

PROB. MIN. — Si quis videat, v. gr., in Petro alborem ut quatuor, atque etiam in Paulo, nihil aliud quaeret aut expectabit ut dicat illos esse similes *in albedine*, aut habere relationem similitudinis *in hac;* ergo nulla est necessitas reponendi relationem in entitate speciali, quae superveniat rationi objectivae propter quam tribuitur praedicatum relativum.

Adde quod entitates illae speciales, in quibus relationes reponit sententia impugnata, etiam haberent inter se plures relationes, scilicet, cöexistentiae, similitudinis vel dissimilitudinis, etc.; ac proinde deberent affici aliis entitatibus modalibus, et ita porro. Demum, juxta hanc sententiam, si quae musca producitur aut movetur, fieri debent innumerae mutationes in toto universo, propter novas relationes quas caetera omnia entia ad illam habent.

PROB. 2.ª P. ANTEC. — Ideo aliqui dicunt relationem saepe non esse nisi partem illius rationis propter quam tribuitur praedicatum relativum, quia illa ratio saepe habetur partim in termino, et ipsi censent hanc partem non esse constitutivum relationis, sed merum connotatum; atqui hoc refutatur iisdem argumentis quibus in Critica (n. 14) probavimus veritatem judicii constitui etiam per objectum; ergo relatio non est pars rationis objectivae propter quam tribuitur praedicatum relativum.

## OBJECTIONES

**34. Objectio 1.ª** — Ratio propter quam tribuitur praedicatum relativum saepe consistit in solis entitatibus substantialibus, v. gr., quum Petrus dicitur Paulo similis in natura humana; atqui relatio debet esse accidens; ergo relatio non potest identificari, saltem semper, cum illa ratione.

RESPONSIO. — DIST. MIN.: debet esse semper acci-

dens *physicum*, NEGO; saltem *logicum*, CONC. — Illa ratio propter quam Petrus dicitur similis Paulo in natura humana, est quid logice accidentale respectu Petri, quia includit praeter naturam ejus, etiam naturam Pauli, quae potest dari vel non dari existente Petro

**35. Objectio 2.ª** — Ut a philosophis dici solet, *totum esse relationis est ad aliud;* ergo relatio debet esse entitas sui generis et pure modalis.

RESPONSIO. — Totum esse relationis est *ad aliud* (scilicet ad terminum, qui sit *aliud a subjecto)*, quatenus nequit concipi relatio *ut talis*, nisi concipiatur cum *esse ad*, veluti designando determinatam rem tamquam terminum, CONC.; ita ut relatio nequeat respondere conceptibus formaliter praescindentibus ab *esse ad*, NEGO. — Jamvero, complexus, v. gr., duarum naturarum Petri et Pauli, si concipitur ut ratio tribuendi Petro praedicatum *similis Paulo*, sufficienter habet *esse ad Paulum.*

**36. Objectio 3.ª** — Ex thesi nostra sequitur relationem majoritatis et relationem minoritatis eadem constitutiva habere; ac proinde idem subjectum posse dici majus et minus respectu ejusdem termini.

RESPONSIO. — NEGO CONSQTM. — Saepe accidit ut eadem forma logica diversas denominationes tribuat diversis subjectis, et non indiscriminatim, v. gr., *cognitio*, quae denominat *cognoscens* subjectum in quo est, et *cognitum* objectum repraesentatum. Immo fateri debent ipsi adversarii eumdem complexum esse rationem propter quam tribuitur alteri extremo praedicatum *majus*, et alteri praedicatum *minus*, quamvis ille complexus non agnoscatur ut relatio. — Praeterea etsi relatio majoritatis et minoritatis eadem constitutiva habeant, non idem venit in recto (v. Crit., n. 13 et seq).

**37. Objectio 4.ª** — Absolutum ut tale, et relativum ut tale, opponuntur; ergo praedicata absoluta et praedicata relativa debent provenire a distinctis formis.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: opponuntur saltem in sensu logico, CONC.; semper in sensu reali, NEGO. —

Similiter DIST. CONSQNS.: a formis saltem logice distinctis, CONC.; semper a formis realiter distinctis, NEGO. — Evidenter eadem res non potest esse absoluta et relativa eodem sensu, sed diversis conceptibus potest aprehendi modo ut absoluta, modo ut relativa. Praeterea notandum est relationes praedicamentales semper distingui saltem inadaequate a formis praedicatorum absolutorum quae conveniunt eidem subjecto.

**38. Objectio 5.ª** — Ut passim dicitur, relatio *resultat* ex fundamento; ergo ab hoc adaequate distinguitur.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: saltem logice, et aliquando physice sicut totum ex partibus, CONC.; physice et efficienter, NEGO. — Saepe relatio constituitur duabus entitatibus, ex quibus potest dici *resultare*, quin distinguatur a complexu utriusque. Atque semper entitas in qua consistit relatio confert aliquod praedicatum absolutum, quod logice est prius praedicato relativo. Ita, v. gr., relatio similitudinis Petri ad Paulum in albedine potest dici resultare *physice* ex albedine utriusque, sicut totum ex partibus; atque etiam *logice*, quatenus prius est ambos esse albos, quam alterum esse alteri similem in albedine.

**39. Objectio 6.ª**— Duplex natura angelica excedit duplicem naturam humanam; atqui similitudo specifica duorum hominum non est minor similitudine duorum angelorum; ergo hae similitudines non consistunt in duplice natura humana vel angelica.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: excedit vel in esse rei, vel sub conceptu specifico utriusque naturae, CONC.; sub quolibet conceptu, NEGO. — CONTRADIST. MIN.: non est minor vel in esse rei, vel sub conceptu specifico naturarum in quibus similitudo consistit, NEGO; sub conceptu praecisivo *similitudinis specificae*, CONC.

**40. Objectio 7.ª** — Si e duobus calidis ut quatuor uni tantum adveniat novus gradus caloris, perit similitudo praecedens; atqui nihil perit caloris praecedentis; ergo similitudo non consistebat in calore.

RESP. — Illa calida habebant duplicem similitudi-

nem, alteram positivam consistentem in utroque calore, alteram negativam consistentem in carentia majoris intensionis; ex his tantum secunda perit in casu.

# CAPUT III

## DE CAUSIS, QUAS ENS HABERE POTEST

**41. Divisio capitis.** — In sex articulos praesens caput dividemus: in 1.°, declarabimus notionem causae et alias cum ipsa connexas; in 2.°, agemus de natura et divisionibus causae efficientis; in 3.°, de objectivitate conceptus causae efficientis, et refutabimus occasionalismum; in 4.°, de actione et passione loquemur; in 5.°, de causa finali et fine, atque de causa exemplari; in 6.° denique de causa materiali et formali.

## ARTICULUS I

### DE NOTIONE CAUSAE ALIISQUE CUM IPSA CONNEXIS

**42. De notione principii.** — PRINCIPIUM est *illud a quo aliquid procedit, seu suum esse accipit;* ejusque correlativum, quod non vocatur principiatum, sed TERMINUS, est *illud quod ab alio procedit;* sic, pater est principium filii, atque hic est terminus ab illo procedens. Praecipuae proprietates principii sunt hae tres, de quibus breviter loquemur.

I. PRINCIPIUM REALITER DISTINGUI DEBET A TERMINO. Quia nihil potest proprie procedere a semetipso.

II. PRINCIPIUM HABET PRIORITATEM RESPECTU TERMINI. Etenim, quum ab ipso terminus procedat, necessario concipiendus est aliquo modo ante terminum.

Porro prioritas principio conveniens potest esse triplex: TEMPORIS, NATURAE et ORIGINIS. — Prima in eo

consistit, quod *principium aliquo tempore extiterit, antequam terminus daretur;* talem habet in creatis pater respectu filii. — Prioritas naturae est illa *in qua terminus dependet a principio, unde procedit*, sive hoc habeat respectu termini etiam prioritatem temporis, sive non; sic, v. gr., quamvis angeli cogitarunt ipso primo instanti suae existentiae, habuerunt respectu suae cogitationis prioritatem naturae. Ut terminus a principio dependeat, ac proinde habeat posterioritatem naturae respectu illius, requiritur et sufficit (sicut semper accidit in rebus finitis) utrumque distingui in entitate. — Prioritas originis est illa *in qua terminus procedit a principio per verum influxum, sine prioritate temporis aut naturae.* Hujus prioritatis tantum habetur exemplum in mysterio Sanctissimae Trinitatis, ubi Pater est principium Filii, et ambo principium Spiritus Sancti, quin alter tempore praecedat alterum, vel alter ab altero dependeat, siquidem omnes, quamvis realiter distincti inter se in ratione personae, attamen realiter et adaequate identificantur quatenus sunt *Deus*.

III. PRINCIPIUM INFLUIT IN TERMINUM. Etenim, quamvis saepe nominetur principium alterius, illud quod respectu hujus habet tantum prioritatem temporis, sine ullo influxu, et ita aurora dicitur principium diei; tamen de his principiis Philosophia non agit.

**43. Declaratio notionis causae.** — I. Causa, juxta sensum vulgarem et rigorem philosophicum, est *principium a quo procedit terminus distinctam habens entitatem;* qui *effectus* vocatur. Ex hac autem definitione facile infertur *causam habere prioritatem naturae respectu sui effectus*, sive habeat, sive non, prioritatem quoque temporis (v. Los., *Phys.*, tr. 2, dp. 2 — tm. 5, p. 167).

II. Illud quod *potest* esse causa alicujus effectus, dicitur *causa in actu primo;* quum autem de facto alicui effectui esse dat, vocatur *causa in actu secundo.*

**44. Divisiones causae.** — I. Causa dividitur in INTRINSECAM et EXTRINSECAM. Est intrinseca *illa quae ut*

*pars constituit ipsum effectum;* v. gr., *anima* et *corpus* respectu hominis. Extrinseca vero est *illa quae non constituit ut pars suum effectum;* v. gr., *voluntas* respectu suorum actuum.

II. Causa extrinseca subdividitur in EFFICIENTEM et FINALEM. Est efficiens *illa a qua proprie oritur effectus, vel pars hujus antea non existens;* sicut ex voluntate oritur actus amoris, et ex planta principium vitale seminis. Causa finalis vero est *finis propter quem aliquid fit ab agente cognoscitivo;* v. gr., scientia propter quam vir studiosus laborat.

III. Causa intrinseca subdividitur in MATERIALEM et FORMALEM. Causae materialis *constituit effectum ut pars determinabilis*, causa vero formalis *ut pars determinans;* in homine, v. gr., *corpus* est causa materialis, et *anima* causa formalis (1).

IV. Unaquaeque ex his causis subdividitur in *partialem* et *totalem*, prout exigat vel non exigat consortium alterius ejusdem speciei. Porro causae efficientes possunt esse partiales *partialitate causae*, vel *partialitate effectus*, prout hic indivisibiliter ab illis procedat, vel altera ipsius pars ab altera ex illis causis.

V. Praeter quatuor causas modo enumeratas, admitti solent causa DETERMINANS et causa EXEMPLARIS, quae saepe ex parte causae efficientis requiruntur, ideoque ad ipsam reduci debent. Causa determinans est *ultima ex conditionibus, sine quibus causa efficiens non operaretur, et illis positis operatur.* Causa exemplaris est *res quam effectus imitatur ex intentione agentis.*

VI. Etiam, quum pars determinans alicujus compositi produci et existere naturaliter non potest extra partem determinabilem, haec vocari solet CAUSA MATERIALIS EXTRINSECA respectu illius. Ita omnia accidentia et omnes formae substantiales *materiales*, saltem na-

(1) Sine dubio agnosci debent hae quatuor causae, ab Aristotele assignatae, sed negari non posse videtur quod causae materiali, formali et finali tantum analogice conveniunt definitio et aliquae proprietates, quae tribui solent causae in genere. Causa praecipua est efficiens.

turaliter, habent causam materialem extrinsecam; sed anima humana minime (v. n. 65, III).

**45. Notio rationis sufficientis.** — RATIO SUFFICIENS est *illud ex quo evinci potest aliquod praedicatum determinato subjecto convenire*. Ita ratio sufficiens *immortalitatis* animae humanae est ejus *spiritualitas*.

**46.** THESIS. — **Non omne principium est causa, nec omnis ratio sufficiens est principium.**

1.ª PARS, PROB. — Principio sufficit prioritas originis respectu termini, sed causa habere debet prioritatem naturae, ut ex dictis patet.

In memoriam revocandum videtur, non haberi exemplum principii vere influentis in terminum sine causalitate, nisi in mysterio Sanctissimae Trinitatis.

2.ª PARS, PROB. — Principium distingui debet a termino realiter, ratio vero sufficiens, minime. Ita, *spiritualitas* est ratio sufficiens, sed non principium *immortalitatis* ejusdem animae indivisibilis.

**47. Declaratio conceptus naturae.** — I. Sensu latissimo NATURA est *tota collectio entium creatorum, sed praesertim corporeorum*. Hoc sensu dicere solemus: *Deus est auctor naturae*, et pantheistae hoc ipso sensu loqui solent de *Deo-natura*. Sensu minus lato NATURA significat *nativitatem* vel *proprietatem qua quis nascitur;* sic dicimus *puerum esse debilem natura sua*, et Sanctus Paulus (Ephes. III, 3) ait: *eramus natura filii irae* (quia nati sumus peccato originali infecti, per baptismum deleto).

II. Sensu proprio NATURA est idem ac *essentia cujusque rei*, ideoque dicimus *anima humana est spiritualis sua natura*, et loquimur de *natura accidentium;* sensu tamen strictiori accipitur pro *essentia entis substantialis quatenus operativa est*.

III. NATURALE dicitur, absolute loquendo, *quod non superat vires activas aut exigitivas substantiarum creatarum;* SUPERNATURALE autem *quod illas superat*. Dicimus *substantiarum creatarum*, quia dantur accidentia supernaturalia, sicut gratia sanctificans, et supponimus

cum communiori sententia theologorum substantiam creatam non posse esse supernaturalem. Sic, igitur, supernaturalis est resurrectio mortui, atque etiam visio beatifica, quae superant omnes vires et exigentias substantiarum creatarum; et e contra, naturalia sunt phaenomena electrica, quae illas non superant. Etiam est naturalis creatio animae humanae, quia exigitur a materia certo modo organizata. (V. S. Th., 1 p., q. 29, a. 1, ad 4; *Metaph.*, lib. V, lec. 5; et Los., l. c., dp. 1 — tm. 5, p. 142).

**48. Principia demonstrationis, quae ex praecedentibus notionibus inferuntur.** — Expositis notionibus generalioribus, quae activitatem entis respiciunt, oportet eruere ex illis quasdam propositiones, quae frequenter tamquam principia demonstrationum accipiuntur. Ad tres reduci possunt; quarum una ex conceptu rationis sufficientis, altera ex conceptu causae, tertia denique ex conceptu naturae derivatur.

**49. Principium rationis sufficientis.** — Ab omnibus cognita est formula, qua hoc principium effertur: NIHIL DATUR SINE RATIONE SUFFICIENTI. Hoc autem principium per se patet; etenim, ad hoc ut aliquid detur, determinari debet ejus existentia; atqui quod determinat existentiam alicujus rei, vocatur ratio sufficiens illius (sive sit causa, sive non); ergo nihil dari potest sine ratione sufficienti.

**50. Principium causalitatis.** — QUIDQUID INCIPIT EXISTERE, CAUSAM (efficientem) HABET. Hoc principium etiam ex ipsis terminis patentissimum est; nam quum incipit existere aliquod ens A, fit transitus ex non-A ad A; atqui nihil datur sine ratione sufficienti, et ratio sufficiens illius transitus non datur in mera non existentia entis A; ergo illa ratio sufficiens habetur in alio ente, jam existente pro priori ad A, quod suo influxu existentiam hujus determinavit, ac proinde est vera causa ipsius (v. Balmes, *Fil. fund.*, l. 10, c. 6).

**51. Duo principia ex notione naturae deducta.** — OPERARI SEQUITUR ESSE, et MODUS OPERANDI SEQUITUR

MODUM ESSENDI. His duabus formulis exprimitur ab scholasticis relatio necessario existens inter operationes entis et naturam ipsius. Declarandus est sensus utriusque.

I. Prima formula significat *operationes esse posteriores existentia agentis*. Hujusmodi principium est evidentissimum, etenim causa habere debet respectu effectus atque ejus productionis saltem prioritatem naturae. Attamen, si solum causat ut finis ab agente cognoscitivo intentus, vel ut exemplar imitandum, sufficit causae existentia intentionalis (v. nn. 74 et 78).

II. Altera formula significat *operationes entis esse conformes et proportionatas naturae ipsius*. Etiam hoc principium est certissimum atque evidens; quia, quum natura entis sit principium ultimum suarum operationum, plane sequitur has operationes non posse esse contrarias aut superiores illi (v. n. 56).

**52. Applicationes principiorum praecedentium.** — Horum principiorum multae applicationes fiunt, sed nos duas tantum magni momenti declarabimus: alteram respicientem ordinem logicum, alteram ontologicum.

I. EX COGNITIONE OPERATIONUM ENTIS ERUITUR QUALIS SIT EJUS ESSENTIA, SEU NATURA. Quia, ut modo dicebamus, operationes entis proportionatae sunt naturae ipsius.

II. ABSURDI SUNT TRANSFORMISMUS ET EVOLUTIONISMUS ABSOLUTI. Quia hujusmodi systemata hoc supponunt, quod ope successivarum transformationum et evolutionum ex entibus speciei infimae entia specierum superiorum procedunt; hoc autem est admittere naturam, vel causam, producere posse effectus ipsa superiores, contra principium deductum ex conceptu naturae.

## ARTICULUS II

### DE NATURA ET DIVISIONIBUS CAUSAE EFFICIENTIS

**53. De natura causae efficientis.** — I. Diximus jam, causam efficientem a caeteris distingui eo quod ab ipsa *proprie oriatur effectus*, *vel hujus pars antea non existens*. Hanc esse ejus differentiam characteristicam facile intelligitur perpendendo effectum proprium et immediatum caeterarum causarum. Effectus causae materialis et formalis, ut talium, est totum ab ipsis ut partibus constitutum; causae autem finalis est amor, seu volitio, quam ejus bonitas excitat in voluntate; porro nemo dicit totum *proprie oriri* ex partibus in ipso inclusis, vel amorem ex bono amato. E contra, evidens est quod si aliqua entitas nova incipit existere, ipsa *oriri* debet ex aliquo ente praeexistente, cujus influxu illa appareat: hoc igitur ens est ipsius causa efficiens. (V. Los., l. c., c. 5 — tm. 5, p. 208).

II. Illa forma logica (v. Dial., n. 13, II), qua ens aliquod *potest* esse causa efficiens quorumdam effectuum, vocatur *potentia activa* vel *virtus*. Causalitas vero hujus causae, seu illa forma logica, qua hujusmodi ens redditur *de facto efficiens*, dicitur *actio*, *effectio*, *efficentia*, *operatio* vel *productio*.

III. Causa ut operari possit, indigere solet determinatis conditionibus, seu adjunctis; ideo physici et chimici inquirunt et docent quaenam conditiones requirantur ut agentia physica et substantiae chimicae suos effectus producant. Ex his conditionibus, aliae removent impedimenta, aliae determinant virtutem causae, aliae demum illam applicant enti in quo exerceri debet influxus ipsius. (V. Los., l. c., n. 5; et dp. 3 — tm. 5, pp. 169 et 223).

IV. Complexus ex causa et conditionibus omnibus, sine quibus illa operari non posset, ab scholasticis vo-

catur *signum prius;* complexus autem ex effectu et actione, qua producitur, *signum posterius*. Haec duo signa (adaequate distincta) aliquo tempore, vel instanti, coexistunt; nec semper requiritur quod signum prius sine posteriori exstiterit. (V. n. 43; et Los., l. c., dp. 4—tm. 5, p. 258).

**54. Divisiones causae efficientis.** — E multis, quae dari possent, tantum praecipuas indicabimus.

I. Dividitur in PRIMAM et SECUNDAM. Prima est *illa a qua omnes aliae dependent in suo esse et operari*, talis est Deus; secunda est quaelibet ex causis creatis, seu *causa a prima dependens in suo esse et operari*. Hinc sequitur causam primam esse *universalem*, secundas vero *particulares*.

II. Dividitur in NECESSARIAM et LIBERAM. Necessaria est *illa quae positis omnibus praerequisitis ad eliciendam aliquam operationem, non potest illam non elicere*, tales sunt agentia physica; libera *est illa quae habet dominium sui actus*, seu, *illa quae positis omnibus praerequisitis ad eliciendam determinatam operationem, potest illam non elicere*, v. gr., voluntas humana (1).

III. Dividitur in IMMEDIATAM et MEDIATAM. Immediata est illa a qua oritur effectus; et mediata, illa a qua orta est causa immediata, saltem si haec necessario operatur. Agens rationale, quod suo mandato vel consilio influit in actionem alterius, dicitur causa *moralis*, quia in aestimatione prudentum ipsi imputatur effectus.

IV. Dividitur in PRINCIPALEM et INSTRUMENTALEM, sed haec divisio non semper explicatur eodem modo. Aliquando datur nomen causae instrumentalis principio activo, quo mediante hypostasis operatur, huic autem nomen causae principalis; ita oculi sunt instru-

(1) Aliqui auctores rejiciunt has definitiones causae necessariae et liberae, sed videtur clarum quod *posse operari positis omnibus praerequisitis*, et *posse non operari* (melius, non posse operari), *si aliqua deest*, convenit omnibus causis; ac proinde liberae non distinguerentur a necessariis, nisi positis omnibus praerequisitis ad determinatam operationem non possent illam non elicere.

menta hominis ad videndum. Alias dicitur instrumentalis illa causa quae aliquo modo supplet aliam, cui tribuitur nomen causae principalis; ita fundibularius est causa principalis motus petrae, et impulsus quem haec accepit est causa instrumentalis. Sensu tamen stricto causa instrumentalis definienda videtur: *illa, quae operatur cum speciali concursu causae superioris, sine quo non posset illum effectum producere;* causa vero principalis: *illa quae tribuit causae inferiori specialem concursum, quo haec indiget ad producendum effectum illum, quem producit.* Ita si substantia et accidens concurrunt ad productionem alterius substantiae, accidens est instrumentum substantiae agentis; sed concursus *generalis* Dei cum causis secundis in omnes earum effectus, non facit illas esse causas mere instrumentales (v. Los., l. c., dp. 6, c. 3 — tm. 5, p. 358).

V. Dividitur in NATURALEM *seu* PER SE et ACCIDENTALEM *seu* PER ACCIDENS. Prima est *illa quae natura sua ordinatur ad producendos illos effectus, quos producit, et, si est agens rationale, operatur sciens et volens;* ita electricitas est causa per se scintillae, et carnifex occisionis rei. Causa accidentalis est *illa quae producit effectum a se non intentum, vel ad quem non ordinatur natura sua;* ita si aliquod corpus cadens producit vulnus alicui homini, est causa accidentalis vulneris.

VI. Causa dicitur UNIVOCA vel AEQUIVOCA, prout producat effectum ejusdem vel diversae speciei; et INSTANTANEA vel SUCCESSIVA prout illum producat uno instanti vel aliquo lapsu temporis.

**55. Quomodo causa efficiens contineat perfectiones effectuum.** — PERFECTIO est *quodlibet praedicatum ratione cujus subjectum redditur aestimabile.* Perfectiones haberi possunt FORMALITER, EMINENTER et VIRTUALITER, seu sub conceptu proprio, sub conceptu excellentiori, et in virtute illas producendi; ita Deus habet formaliter sapientiam, eminenter auditum, et virtualiter quamcumque perfectionem producibilem. Quod quaelibet causa efficiens contineat virtualiter perfectiones effec-

tus, patet ex ipsis terminis; sed nunc contendimus probare hanc continentiam virtualem non posse haberi sine continentia formali aut eminentiali.

**56.** THESIS. — **Causa efficiens debet continere formaliter aut eminenter omnes perfectiones effectuum, quos producere potest.**

PROB. — Causa efficiens ita dat esse effectui, ut omnes perfectiones hujus ex illa oriantur; atqui hoc exigit ipsam continere formaliter aut eminenter has perfectiones, quia nemo dat quod non habet; ergo causa efficiens debet continere formaliter aut eminenter omnes perfectiones effectuum, quos producere potest.

**57. Notandum.** — Si plures causae concurrunt ad productionem ejusdem effectus, non est necesse ut singulae habeant omnes perfectiones illius, sed possunt aliae alias habere.

## ARTICULUS III

### DE OBJECTIVITATE CONCEPTUS CAUSAE EFFICIENTIS ET REFUTATIO OCCASIONALISMI

**58. Status quaestionis.** — I. Aliqui philosophi antiqui atque medii aevi OCCASIONALISMUM propugnarunt, affirmantes entia creata tantum esse *occasiones*, ad quarum praesentiam solus Deus omnes effectus producit, quos videmus. Hanc sententiam temporibus modernis amplexatus est Mallebranche, qui tamen ad finem agnovit activitatem spiritibus (v. Balmes, *Hist. de la Fil.*, c. 47), ideoque evasit occasionalista *moderatus*.

II. Locke, Hume, Kant, Compte eorumque sectatores, fundati in eo quod sensus atque ipsa conscientia tantum referant nobis successionem factorum, negant existentiam causarum efficientium, vel saltem nos posse illam certo cognoscere.

**59.** THESIS 1.ª — **Conceptus causae efficientis habet valorem objectivum.**

PROB. — Experientia interna atque externa testatur apparitionem entium, seu entitatum, quae antea non existebant: ita Chimia mediantibus suis combinationibus obtinet novas substantias; vegetalia induuntur foliis, floribus et fructibus, quae antea non existebant; anima nostra experitur sensationes et actus intellectus atque voluntatis, antea non existentes. Atqui quidquid incipit existere causam habet (v. n. 50). Ergo conceptus causae efficientis habet valorem objectivum.

Nec prodest dicere omnia ista phaenomena, sive interna, sive externa, esse meras evolutiones. Quia hae evolutiones aliquid reale important, quod antea non erat, ac proinde remanet in suo robore argumentum factum.

**60.** THESIS 2.ª — **Occasionalismus est absurdus.**

PROB. 1.° — Occasionalismus innitur hoc principio quod activitas ita est propria Dei, ut non possit communicari creaturis; atqui hujusmodi principium est absurdum, ergo etiam occasionalismus.

PROB. MIN.—Creaturae sunt imitationes essentiae divinae, ut dictat sensus communis et uberius explicabimus agentes de ultimo fundamento possibilitatis; atqui essentia divina gaudet activitate infinita; ergo creaturae illam habere possunt finitam.

Praeterea, posito quod Deus activitate gaudet, si illam non communicasset creaturis, hoc fuisset vel quia nescit quomodo illa communicari possit, vel quia hanc communicationem facere non valet, vel quia illam facere noluit: jam vero, duae priores hypotheses sunt absurdae, siquidem Deus pollet intellectu et potentia infinitis, tertia vero saltem est gratuita, nam ipsi adversarii fatentur quod si creaturae essent verae causae efficientes, non aliter se gererent, quam nunc.

PROB. 2.° — Propium sapientis est non adhibere media inutilia ad obtinendos fines intentos; atqui si entia creata essent merae occasiones ut Deus solus omnes effectus produceret, essent prorsus ad hunc finem inutilia; ergo Deus, infinite sapiens, non adhibet entia crea-

ta tamquam meras occasiones operandi (C. G., l. 3, c. 69; Balmes, *Fil. Fund.*, l. 9, cc. 8-17).

## OBJECTIONES

**61. Contra thesim 1.m — Objectio.** — Neque experientia interna, neque externa, dant nobis jus asserendi conceptum causae efficientis habere valorem objectivum; etenim utraque nihil aliud refert quam collectionem factorum successivorum, ex quibus nescimus utrum alterum ab altero producatur necne.

RESPONSIO.— DIST. ASSERT.: non dant nobis illud jus *immediate*, CONC.; *mediante* ratiocinio, NEGO. — Ratio distinctionis patet ex ipsa probatione theseos.

**Instantia.** — Ratiocinium neque ex interna experientia, quae praestantior est, potest quidquam eruere pro existentia causarum efficientium, quia quamvis in homine dentur aliquae actiones, quas ipse vult, etiam dantur aliae, quas non vult, et saepe non dantur illae, quas vult.

RESPONSIO. — NEGO ASSERT.; et ad rationem additam dico illam nihil valere, etenim ad hoc ut homo sit causa *pure physica* suarum actionum, non requiritur ut ipsae dependeant ab ejus libera voluntate. Immo, ad primam thesim nostram neque requiritur quod ipse homo sit causa a qua efficiuntur illa phaenomena interna quorum habet experientiam.

**61. Contra thesim 2.m — Objectio.** — Actio causae efficientis est actio creatrix; atqui creatio est exclusiva Dei; ergo nullum ens creatum potest esse causa efficiens.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: *omnis* actio efficiens est creatrix, NEGO; illa actio efficiens, quae producit aliquid ex nihilo, CONC. — CONC. MIN., et sub data distinctione NEGO CONSQM. — Actio dividitur in *creationem* et *eductionem;* haec innitur alicui causae materiali praeexistenti (v. n. 65, III), creatio autem non, et ideo dicitur esse productionem ex nihilo (scilicet, ex nihilo en-

titatis productae et subjecti praesuppositi). Tantum haec actio est exclusiva Dei, ut declaratur in Theodicea.

**63. Objectio 2.ª** — Deus producere debet immediate omnia entia creata, secus enim non esset sufficienter dominus omnium rerum; atqui talis causa excludit omnem cooperationem; ergo nulla res creata potest efficere quidquam.

RESPONSIO.— Concessa majore (1), NEGO MIN., quia quamvis Deus nulla indigeat cooperatione creaturarum, potest illam admittere et velle, siquidem hoc nullatenus opponitur ipsius sapientiae, potentiae et bonitati, quae magis splendent tribuendo activitatem creaturis, quam eam negando.

**64. Objectio 3.ª** — Saltem corpora inorganica activitate carent, siquidem inertia dicuntur.

RESPONSIO. — NEGO ASSERT. (quod transmitti posset), et DIST. PROBATIONEM: sunt inertia quatenus mo-

(1) Juxta communem sententiam auctorum catholicorum Deus concurrere debet ad omnes effectus causarum secundarum; nam ad supremum Dei dominium spectat omnes creaturas habere immediate a se dependentes, non modo in essendo, verum etiam in operando. Ad hoc autem aliqui necessarium censent Deum causas secundas fere ita movere, sicut pictor penicilla, scilicet, illis imprimendo impulsum quemdam praevium, eas determinatis actionibus applicantem, cui nomen dant *praedeterminationis physicae* (alii illum vocant *condeterminationem*). Plures, e contra, opinantur hanc motionem praeviam et determinantem esse superfluam in causis libertate carentibus (siquidem natura earum et circumstantiae sufficienter suos effectus determinant), esse incompossibilem cum libertate, qua gaudent creaturae rationales, et pro actibus moraliter malis oppositam esse sanctitati Dei. Auctores rejicientes praedeterminationem physicam, inter quos numeramur, defendunt Deum decreto suae voluntatis applicare *immediate* omnipotentiam suam sive ad producendos effectus causarum necessariarum, sive ad producendos actus liberos voluntatis rationalis; attamen in hoc ultimo casu applicationem esse *indifferentem*, ita ut omnipotentia *dignatione Dei* sit parata ad concurrendum cuilibet ex actibus, quos voluntas creata in talibus adjunctis eligere potest. Atque censent dominium *physicum* Dei in omnibus rebus sufficienter salvari eo quod omnes illas creaverit et conservet, impedire possit earum actiones mera negatione concurrendi, valeat physice praedeterminare causas liberas si quando ipsis velit adimere libertatem, infallibiliter sciat quem actum electurae sint libertate ipsis relicta, ac semper possit obtinere actum, quem intendat, opportunam cogitationem in intellectu ipsarum excitando. Etiam sufficienter salvatur, ut patet, dominium *morale*, consistens in jure dandi praecepta creaturis liberis, exigendi ab ipsis rationem suarum operationum, atque puniendi illas, si obedire noluerint (v. Los., *Phys.*, tr. 2, dp. 8 — tm. 6, p. 47).

veri non possunt sine impulsu agentis externi, CONC.; ita ut omni activitate careant, NEGO. — Inertia horum corporum in hoc consistit, quod non possint incipere se ipsa movere, minime vero in carentia omnis activitatis.

## ARTICULUS IV

### DE ACTIONE ET PASSIONE

**65. Declaratio notionum actionis et passionis.** — I. Causalitas causae efficientis, sive hujus actualis influxus in suum effectum, vocatur ACTIO, PRODUCTIO vel EFFECTIO, et definitur: *exercitium, quo virtus activa, ut talis, causat effectum*, vel aliis verbis: *ultima et formalis determinatio virtutis activae ut causet effectum, et ipsius effectus ut a tali virtute oriatur.* (V. Los., *Phys.*, tr. 2, dp. 2, c. 5, n. 24; tr. 3, dp. 1, c. 2 — tm. 5, p. 220; tm. 6, p. 171).

II. Dividitur in IMMANENTEM et TRANSEUNTEM. Actio immanens est *productio effectus* (accidentis) *in ipso agente manentis;* actio transiens est *productio effectus agenti exterioris.*

III. Dividitur etiam in CREATIONEM et EDUCTIONEM. Prima est *productio entitatis ex nihilo* (sui et subjecti); altera autem, *productio formae ex praesupposito subjecto* (scilicet, per aliam actionem jam producto). Eductio, vel actio eductiva, a subjecto tantum pendet titulo sustentaculi, cui innitatur; etenim hoc nihil aliud in effectum praestat, nisi illum recipere a virtute activa, *patiendo* ut sibi affigatur; hoc tamen sufficit ut effectus suum esse illi debeat. Porro subjectum, ex quo forma educitur, vocatur respectu hujus CAUSA MATERIALIS EXTRINSECA, vel etiam POTENTIA SUSTENTATIVA (1). (V. Los., *Phys.*, tr. 1, dp. 4, c. 4, n. 3; tr. 2, dp. 2, c. 2, n. 2 — tm. 4, p. 283; tm. 5, p. 181, n. 2).

(1) Quamvis causa materialis extrinseca entitatem eductam sustentet, sive illa sit substantialis, sive accidentalis; tamen in hoc altero casu dici non solet subjectum *sustentationis*, sed *inhaesionis*.

IV. Ex dictis sequitur eductioni PASSIONEM respondere, quae etiam RECEPTIO vel SUSTENTATIO dicitur, et definitur: *exercitium, quo potentia sustentativa, ut talis, causat formam*, vel etiam: *ultima et formalis determinatio potentiae sustentativae ut causet formam, et ipsius formae ut a tali potentia pendeat, tamquam a subjecto praesupposito*. (V. Los., *Phys.*, tr. 3, dp. 1, c. 2 —tm. 6, p. 171).

**66.** THESIS 1.ª — **Dantur actiones realiter distinctae a causa et ab effectu, quae sunt entitates modales.**

PROBATUR. — Ut videtur evidens, agentia naturalia plures effectus de facto producunt, quos possent non producere; et plures effectus produci possent a causis distinctis ab illis, quae ipsos de facto producunt. Atqui in his casibus illae res, quae de facto sunt causa et effectus, existere possent, quin daretur productio secundae a prima; et separabilitas (etiam non mutua) in existendo est signum indubium distinctionis realis (v. n. 115, 4.ᵐ). Ergo dantur actiones realiter distinctae a causa et ab effectu.

Porro, quum his actionibus entitatem modalem tribuere sufficiat, non est fingenda major, quae potius officeret.

**67. Notandum.** — Similiter probaretur dari passiones realiter distinctas a subjecto et a forma, illasque esse entitates modales.

**68.** THESIS 2.ª — **Actio eductiva identificatur cum passione.**

PROBATUR. — Modi non sunt multiplicandi sine necessitate; atqui unica entitas modalis in subjecto praesupposito recepta, non solum munus passionis, ut est evidens, sed etiam munus actionis gerere potest; ergo eductio identificatur cum passione.

PROB. MIN. — Nulla est ratio cur illa entitas non possit essentialiter esse *ab* agente ut tali, et formam reddere ab ipso egredientem; hoc autem sufficere videtur ut illa entitas munus actionis gerat.

**69. Notanda.** — 1.ᵐ In creatis *omnis* actio realiter

distingui videtur ab agente, sed probabiliter dantur actiones immanentes a formis productis indistinctae. — 2.ᵐ In actione eductiva, quae a forma producta distinguatur, tres dantur transcendentales respectus, qui vocari possunt AB, IN et AD; ipsa enim respicit agens ut A *quo*, subjectum praesuppositum ut IN *quo*, et formam, seu terminum, ut AD *quem* est. — 3.ᵐ Ex dictis sequitur actionem hujusmodi extrinsece specificari ex termino, ex agente atque ex subjecto, simul sumptis; ita ut specifica variatio in quolibet ex illis variationem specificam inferat in actione (v. Los., *Phys.*, tr. 3, dp. 1, c. 2, nn. 15-19 — tm. 6, p. 179). — 4.ᵐ Forma producta non est subjectum sustentativum actionis eductivae, sed quidem dici potest subjectum *adhaesionis* (v. Los., *Phys.*, tr. 1, dp. 2, c.2, n. 8 — tm. 4, p. 123). — 5.ᵐ Quamvis actio et passio realiter identificentur, attamen *agere* (transeunter) et *pati* minime identificantur; solent enim accipi pro eodem ac *esse subjectum* (logicum) *actionis*, et *esse subjectum* (physicum) *passionis*.

## OBJECTIONES

**70. Objectio 1.ª** — Actio et passio pertinent ad diversa praedicamenta; ergo constituunt duo genera entis, ac proinde realiter distinguuntur.

RESPONSIO. — Sanctus Thomas (11 *Met.* lect. 9) ait: «Sciendum quod praedicamenta diversificantur secundum diversos modos praedicandi. Unde idem secundum quod diversimode de diversis praedicatur, ad diversa praedicamenta pertinet... Motus secundum quod praedicatur de subjecto, in quo est, constituit praedicamentum passionis; secundum autem quod praedicatur de eo, a quo est, constituit praedicamentum actionis».

**71. Objectio 2.ª** — Duo praedicata primo diversa eamdem formam logicam habere nequeunt. Atqui *agere* et *pati* sunt praedicata primo diversa. Ergo actio et passio nequeunt esse eadem entitas.

RESPONSIO.—DIST. MAJ.: si ambo sunt adaequate in-

trinseca, CONC.; SECUS, NEGO.—Eaedem cognitio, v. gr., subjecto tribuit denominationem *cognoscentis*, et objecto denominationem *cogniti*.

**Instantia.** — Juxta hanc doctrinam, locutio et auditio essent omnino idem; hoc autem absurdissimum est.

RESPONSIO. — NEGO SEQUEL. — Auditio est actio immanens ipsius audientis. Immo, emissio vocis tantum mediate producit illam impressionem, quae in audiente passive recipitur et auditionem praecedit et determinat. Jamvero, thesis nostra loquitur de actione productiva et de receptione immediate versantibus circa eamdem formam physicam.

**72. Objectio 3.ª** — Agens creatum sua actione perficitur et mutatur; ergo ipse recipit suam actionem.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: actione immanente, CONC.; actione transeunte, SUBDIST.: physice et formaliter, NEGO; sensu quodam morali, argüitive et illative, CONC. — Sanctus Thomas (1, q. 18, a. 3 ad 1) ait: «Duplex est actio: una, quae transit in exteriorem materiam, ut calefacere et secare; alia, quae manet in agente, ut intelligere, sentire et velle; quarum haec est differentia, quia prima actio non est perfectio agentis, quod movet, sed ipsius moti; secunda autem actio est perfectio agentis». Nihilominus etiam actio transiens dici potest perfectio agentis extrinsece et per modum finis, quatenus tale agens ex se ordinatur ad explicandam foecunditatem suam (v. S. Th., *De Pot.*, q. 7, a. 10), vel etiam praesuppositive, quatenus praevie affici debet variis dispositionibus.

**73. Objectio 4.ª** — Actio transiens est modus agentis, quo hujus potentia ad actum reducitur. Atqui modus in eo recipi debet, cujus est modus; et potentia nequit extrinsece ad actum reduci. Ergo actio transiens in ipso agente recipi debet.

RESPONSIO. — DIST. 1.ᵐ P. MIN.: debet recipi in *aliquo* subjecto, cujus sit modus, CONC.; nequit esse modus subjecti, in quo non recipiatur, SUBDIST.: in quo non recipiatur saltem logice, CONC.; in quo non recipia-

tur physice, NEGO. — Etiam DIST. 2.m P. MIN.: potentia passiva, CONC.; potentia transeunter activa, NEGO. — Actio transiens dicitur modus agentis quatenus essentialiter est ab eo inseparabilis, tum egressive, quia essentialiter habet egredi ab hoc agente prae alio, tum connexive, quia nullatenus existere potest eo non existente.

## ARTICULUS V

### DE CAUSA FINALI ET FINE ATQUE DE CAUSA EXEMPLARI

**74. Declaratio conceptus finis et causae finalis.** — I. Relictis acceptionibus quae ad rem non faciunt, nomine FINIS intelligitur *illud ad quod ordinatur aliquod ens vel operatio;* ita finis cultelli est secare, et actionis manducandi sustentare vires.

II. Ut videtur clarum, finis, quatenus talis, non potest habere rationem causae, nisi *movendo* aliquod agens intellectivum ad producendum effectum ad se ordinatum; etiam est clarum hanc motionem non posse esse nisi illam, quae saepe exercetur in voluntate a quibusdam objectis eo solo quod per intellectum ipsi proponantur, et ideo *intentionalis* dicitur; ergo finis ad habendam rationem causae debet cognosci et *intentionaliter movere* voluntatem agentis. CAUSA FINALIS, igitur, est *finis propter quem aliquid fit ab agente cognoscitivo*. Juxta dicta *finis* et *causa finalis* non sunt termini synonimi; in praxi tamen causa finalis vocatur simpliciter *finis*, quando non est locus confusioni.

III. Ex dictis sequitur aptitudinem finis ad causandum consistere in ejus *bonitate ac perfectione*, quae, si cognoscitur, potest allicere causam efficientem ad operandum (1).

(1) Si illud, propter quod agens cognoscitivum operatur, non habet rationem finis, non est causa finalis, sed potius causa efficiens intentionaliter. Ita se habent sacramenta respectu gratiae, si illam non causant physice, sed Deum movendo ut illam conferat; et generatim quaelibet, causa meritoria, atque etiam causa exemplaris, de qua postea (n. 78).

IV. Illud, quod fit vel adhibetur ad finem obtinendum, vocatur *medium*. Si nullatenus intenditur propter se, est *purum medium*, v. gr., scissio venae ad sanitatem obtinendam; secus participat etiam rationem finis. (V. Los., *Phys.*, tr. 2, dp. 2, c. 3 — tm. 5, p. 191).

V. Quoniam finis exoptatur antequam media sint volita, sed haec media adhiberi debent antequam finis obtineatur, ideo dici solet quod *finis est primus in intentione et ultimus in executione*.

**75. Divisiones finis.** — I. Dividitur in OBJECTIVUM et SUBJECTIVUM *seu* FORMALEM. Primus est *bonum externum ab agente exoptatum*, secundus autem *possessio finis objectivi; divitiae*, v. gr., sunt finis objectivus avari, et earum possessio finis subjectivus. Hi duo fines sunt veluti partes unius finis totalis.

II. Dividitur in FINEM OPERIS *seu* INTRINSECUM et OPERANTIS *seu* EXTRINSECUM. Primus est *ille cui ens vel operatio natura sua ordinatur*, v. gr., pro horologio horas designare; finis extrinsecus seu operantis est *ille, quem agens intendit*, praesertim si non est ipse finis intrinsecus, v. gr., pro horologio lucrum constructoris.

III. Dividitur IN FINEM QUI, *seu* OBTENTIONIS, et finem CUI, *seu* ORDINATIONIS. Primus est *illud quod exoptatur*, alter vero *ens in cujus favorem vel obsequium exoptatur finis obtentionis*. Ita, sanitas pro medico est finis *qui*, aegrotus autem finis *cui*. Etiam hi duo fines in rigore constituunt unum tantum finem totalem.

IV. Etiam dividitur in PROXIMUM, INTERMEDIUM et ULTIMUM. Finis proximus *non exigit consecutionem praeviam alterius finis;* ita discere est finis proximus scholastici. Ultimus *non ordinatur ad obtentionem alterius;* v. gr., beatitudo aeterna. Intermedius *exigit consecutionem praeviam alterius, et ordinatur ad alterum obtinendum;* v. gr., titulus academicus. — Finis, in quo sistit intentio agentis, sed ex se ad ulteriorem finem ordinatur, vocatur RELATIVE ULTIMUS.

**76.** THESIS. — **Merito admittitur causa finalis.**

PROB. 1.° — Finis, propter cujus bonitatem cognitam fit aliquid, influit in actionem causae efficientis illam appetentis; atqui quod influit in actionem causae efficientis meretur haberi etiam ut causa; ergo finis, propter cujus bonitatem cognitam fit aliquid, meretur haberi ut causa, ac proinde merito admittitur causa finalis.

PROB. 2.° — Quum aliquod agens intellectivum (finitum et mutabile) diligit vel exoptat aliquod bonum, producit actum voluntatis, respectu cujus illud bonum cognitum est aliquid amplius quam merum praerequisitum vel conditio; siquidem prout fuerit illud bonum, actus voluntatis habet distinctam speciem et bonitatem, ut facile apparet. Ergo merito admittitur bonum cognitum et exoptatum habere rationem causae respectu actus quo intenditur.

Hic actus est proprius et immediatus effectus causae finalis.

**77. Causalitas causae finalis.** — Quum omnes effectus causae finalis debeant esse effectus alicujus agentis cognoscitivi, facile intelligitur causalitatem illius esse *ipsam causalitatem hujus agentis quatenus positam sub motione quam in eo exercet bonitas causae finalis.*

**78. De causa exemplari.** — Inquirendum videtur utrum causa exemplaris admitti debeat, et utrum ad aliquam ex praecedentibus reduci possit. (V. Los., *Phys.*, tr. 2, dp. 2, c. 4 — tm. 5, p. 204).

I. CAUSA EXEMPLARIS, vel EXEMPLAR, definitur passim ex Sancto Thoma *(De Verit.*, q. 3, a. 1): *forma* (vel res), *quam aliquid imitatur ex intentione agentis.*

II. Disputatur inter auctores utrum ratio causae exemplaris tribui possit, aut debeat, rei distinctae ab opere faciendo, vel ipsi rei faciendae quatenus mente praeconceptae, vel ipsi conceptui formali rei faciendae (v. Suar., *Metaph.*, dp. 25, s. 1).

III. Nobis, ex sensu communi et juxta definitionem traditam, dicendum videtur: 1.° rem distinctam ab opere faciendo posse esse causam exemplarem hujus

(sive hoc sit aequalis, sive inaequalis et longe minoris perfectionis); — 2.° ipsam rem faciendam, abstractive praeconceptam, posse esse, ut talem, causam exemplarem sui ipsius, quatenus physice existentis, non enim apparet in hoc major difficultas, quam in eo, quod causa finalis, ut intentionaliter existens, causet se ipsam, ut physice existentem; — 3.° conceptum formalem rei faciendae, nisi reflexe cognoscatur, non esse causam exemplarem illius.

IV. CAUSA EXEMPLARIS ADMITTI DEBET. Nam agens intellectivum non potest, saltem saepe, opus a se intentum recte efficere, nisi aliquod exemplar (sive physice, sive intentionaliter existens) attente respiciat. Jamvero in his casibus illud exemplar vere influit (intentionaliter vel moraliter) in activitatem causae efficientis, ac proinde in hujus effectum.

V. Ex dictis sequitur CAUSAM EXEMPLAREM REDUCENDAM ESSE AD CAUSAM EFFICIENTEM. Etenim ad genus causae efficientis pertinet quidquid est necessarium ut ejus influxu agens reddatur simpliciter potens in suo genere per se causare (1).

## OBJECTIONES

**79. Objectio 1.ª** — Absurdum est agnoscere rationem causae rei non existenti; atqui finis intentus, cui agnoscimus hanc rationem, saepissime non existit; ergo absurdum est agnoscere tali fini rationem causae.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: agnoscere rationem causae physice operantis, CONC.; intentionaliter moventis agens cognoscitivum, SUBDIST.: rei neque intentionaliter existenti, CONC.; intentionaliter existenti, NEGO. — Et CONTRADISTINCTA MINORE, NEGO CONSQM. — Quod non existit physice, saepe cognoscitur; et hoc sufficit ut possit movere ad amorem et desiderium sui.

(1) Causa finalis, ut talis, quamvis re identificetur cum exemplari, non praebet juvamen agenti ut operari possit, sed illud allicit ut operari velit.

**Instantia.** — Saepe finis est effectus ipsis mediis producendus; ergo nequit ullo modo causare illa vel eorum usum, secus enim mediate causaret se ipsum.

RESPONSIO.—Nihil impedit quominus aliqua res, *ut cognita*, sit causa *modo explicato* ipsorum mediorum, vel actionum, quibus producitur *quoad existentiam realem*.

**80. Objectio 2.ª** — Tantum illud dici potest vera causa finalis, pro cujus obtentione adhibentur media; ergo finis *cui* non est vera causa.

RESPONSIO. — Praescindendo ab eo quod in definitione causae finalis non exigitur ipsam esse obtinendam, NEGO CONSQM.; quia media adhibentur ad obtinendum complexum constitutum fine *qui* et fine *cui*.

**81. Objectio 3.ª** — Finis *qui* non intenditur propter se, sed propter finem *cui;* ergo non est vera causa finalis.

RESPONSIO. — Ut modo dicebamus, finis *qui* constituit ut pars illud totum quod intenditur propter se. Ita, quum pater intendit habere *sanum* filium suum, sanitas filii est quoddam bonum vere intentum a patre, quamvis *ratione filii*.

## ARTICULUS VI

### DE CAUSA MATERIALI ET FORMALI

**82. Definitio causae materialis et formalis.** — I. Ut diximus, dum agebamus de actu et potentia (n. 18), in toto naturali, per compenetrationem duarum partium constituto, pars determinabilis vocatur *potentia*, pars autem determinans *actus*. Hic est sensus magis generalis, in quo sumi possunt CAUSA MATERIALIS et CAUSA FORMALIS; quae ita vocantur, vel etiam brevius *materia* et *forma*, quamvis agatur de composito materiam proprie dictam non includente. Porro evidenter apparet eas esse causas seu principia *intrinseca*.

II. Ex dictis sequitur causam materialem esse *principium intrinsecum determinabile totius;* et forma-

lem, *principium intrinsecum determinans totius.* (V. Los., *Phys.*, tr. 2, dp. 2, c. 2; tr. 1, dp. 2, c. 2, n. 6 — tm. 5, p. 181; tm. 4, p. 122) (1).

III. Compositum ex causa materiali et formali, praecipue tribuitur formali, et vocatur *effectus formalis primarius;* illud autem, quod naturaliter sequitur ex mera constitutione compositi, denominatur *effectus formalis secundarius.* Ita, si in aliquo subjecto producitur forma incompossibilis cum alia praeexistente, expulsio hujus est effectus formalis secundarius formae de novo productae.

**83. Divisio materiae et formae.** — I. Forma dividitur in SUBSTANTIALEM et ACCIDENTALEM. Prima est substantia incompleta et *determinat constitutionem totius substantialis;* altera est accidens et *determinat constitutionem totius accidentalis.* Inter formam substantialem et formam accidentalem hoc discrimen habetur, quod prima *principaliter* ordinatur ad perficiendum suum subjectum, altera autem ad constituendum aliquod totum naturale (v. n. 10). Ideo dicitur quod mutatis formis accidentalibus manet ipsum ens, mutatis vero formis substantialibus habetur aliud ens. — Substantia angelica, quae simplex et indivisibilis est, vocari solet *forma separata* vel forma subsistens.

II. Materia, juxta sententiam scholasticam de constitutione corporum, dividitur in PRIMAM et SECUNDAM. Prima est *substantia incompleta determinabilis per formas substantiales ad constituenda corpora;* secunda vero est *corpus*, seu *substantia completa, constans materia prima et forma substantiali, adhuc determinabilis per formas accidentales* (2).

(1) Quum causa formalis determinet speciem totius per ipsam constituti, interdum vocatur per extensionem *causa formalis extrinseca* illud quod determinat speciem alicujus entis, vel entitatis, quin sit constitutivum ipsius; ita objectum determinat speciem cognitionis. Ut apparet, denominatio est satis impropria. — Si forma produci debet dependenter a materia, haec est *causa materialis extrinseca* respectu illius (v. n. 65, III). — Partes integrantes totius (illud constituentes extrapositae) aequiparantur omnes causis formalibus.

(2) Nomen *corpus* tribuitur cuilibet substantiae immediate exigenti

**84. Causalitas materiae et formae.** — Haec causalitas in ordine ad compositum *consistit in intima unione materiae et formae*. Quia causalitas, seu influxus causae in effectum, est illud quo causa formaliter redditur causans; atqui intima unio materiae et formae utramque reddit formaliter actu causantem; ergo haec unio est causalitas earum. Hujusmodi unio reponenda videtur in *puro modo*, quoties agitur de materia et forma (seu potentia et actu) quae possunt simul existere quin de facto uniantur; siquidem in hoc casu nequit cum ipsis identificari, nec tamen censenda est entitas plus quam modalis (v. Los., *Phys.*, dp. 6, c. 1—tm. 5, p. 66).

**85. Objectio.** — Materia et forma, seu potentia et actus, non sunt verae causae, nam prout tales nulla activitate gaudent.

Responsio. — Ut merito considerentur tamquam causae, sufficit quod praebeant suam entitatem ad constituendum compositum.

# CAPUT IV

## DE ATTRIBUTIS ENTIS ET NOTIONIBUS CONNEXIS

**86. Status quaestionis et divisio capitis.** — I. Vocantur attributa transcendentalia entis *praedicata illa quae conveniunt omnibus omnino entibus praecise quia entia sunt*. Reducuntur ad tres, scilicet, ad *unitatem*, *veritatem* et *bonitatem;* quia ens considerari potest in se ipso, in ordine ad intellectum a quo cognosci potest, et in ordine ad voluntatem, quae potest illud velle. Jamvero ens consideratum in se est *unum*, in ordine ad intellectum est *verum* et in ordine ad voluntatem est *bonum*. (V. Los., *Met.*, dp. 1, c. 6 — tm. 10, p. 84).

---

quantitatem (v. Dial., n. 26, I), sive sit completa, sive non; ideo homo dicitur esse *corpus*, et constare *corpore* et anima. Attamen solum corpus substantialiter completum ponitur directe in praedicamento (v. Dial., n. 23).

II. Materia hujus capitis in quinque articulos distribuetur: in 1.°, agemus de veritate ac bonitate transcendentali, necnon de malo; in 2.°, de perfectione et infinitudine; in 3.°, de unitate transcendentali et notionibus cum ea connexis; in 4.°, de individuo ejusque gradibus metaphysicis.

## ARTICULUS I

### DE VERITATE ET BONITATE TRANSCENDENTALI AC DE MALO

**87. Declaratio notionis veritatis transcendentalis.** — Communis sententia, sicut explicat veritatem formalem, seu logicam, per conformitatem actus cum objecto, ita illam, de qua nunc agimus, quae transcendentalis dicitur et est attributum entis, explicat per conformitatem rei cum actu intellectus; hoc tamen discrimine, quod veritas logica consistit in *actuali* conformitate cognitionis cum objecto (ideoque est cognitioni partim extrinseca), veritas autem transcendentalis sita est in conformitate *aptitudinali* entis cum cognitione, scilicet, *in aptitudine* (enti adaequate intrinseca) *terminandi et verificandi cognitionem*, qua realitas ejus enuntietur; aut brevius *in intelligibilitate entis*. (V. Los., l. c., n. 124 — tm. 10, p. 88).

**88. Notandum.** — Intellectus divinus dici solet regula et mensura veritatis entium creatorum, non quidem quatenus jam intuetur illa ut existentia, sed quatenus pro priori ad eorum existentiam cognoscit quid deberent esse, si crearentur. Hoc sensu etiam intellectus artificis humani dici potest regula et mensura suorum operum.

**89.** THESIS 1.ª — **Veritas transcendentalis est attributum entis.**

PROB.—Veritas transcendentalis est aptitudo terminandi et verificandi cognitionem; atqui quodlibet ens

actu terminat et verificat cognitionem divinam, et potest terminare et verificare cognitiones hominum et angelorum; ergo veritas transcendentalis convenit cuilibet enti, ut attributum.

**90. Declaratio notionis bonitatis transcendentalis.** — I. Bonitas passim tribuitur enti, etenim frequenter dicimus *hoc ens est bonum*. Porro, sicut juxta omnes veritas dicit ordinem ad intellectum, ita bonitas dicit ordinem ad voluntatem, vel appetitum; ideoque definiri potest *appetibilitas entis*. Haec, ut patet, admittit gradus, seu potest esse major vel minor.

II. Appetitus respondens appetibilitati, per quam definitur bonum, non debet esse praecise actus, vel facultas, cognitionem bonitatis praesupponens (actualem vel possibilem), sed potest etiam esse illa mera *inclinatio* naturalis, quam metaphorice loquendo agnoscimus in omnibus rebus, quantumvis cognitione carentibus, respectu rerum ipsis consentanearum.

III. Bonitas, vel bonum, dividitur in UTILE, DELECTABILE, et HONESTUM. Bonum utile est *appetibile tamquam medium ad assequendum aliquem finem;* bonum delectabile est *appetibile propter delectationem, quam secum fert;* bonum honestum est *appetibile ut consentaneum enti totaliter inspecto*. Haec tria membra non sese invicem excludunt, ut patet.

Bonum honestum, quamvis juxta definitionem traditam agnosci possit respectu entium non liberorum, saepe ad sola libera restringitur. Pro his entibus, bonum utile vel delectabile non est verum bonum, nisi insuper sit honestum; ad hoc autem requiritur ut sit rationi consentaneum, seu conforme naturae entis quatenus ratione praediti.

IV. Bonum potest esse INTRINSECUM vel EXTRINSECUM enti. Est intrinsecum, si identificatur cum ipso, vel ipsi physice adhaeret; secus est extrinsecum. (V. Los., l. c., n. 128 — tm. 10, p. 91).

**91.** THESIS 2.ª — **Bonitas transcendentalis est attributum entis.**

PROB. — Cuilibet enti est evidenter appetibilis ejus propria entitas; ergo quodlibet ens est bonum saltem sibi.

Praeterea, etiam ab altero quodlibet ens appeti potest, saltem ut delectabile vel ad aliquid utile, sicut peccatum appetitur ab homine.

**92. Declaratio notionis mali.** — I. Quamquam omne ens est bonum, ut modo diximus, non censetur esse tale respectu omnium aliorum, sed tantum respectu illorum a quibus appeti potest; MALUM ergo, utpote bono oppositum, etiam accipi debet respective et definiri potest: *quod pro aliquo ente est odibile vel disconveniens.*

II. Haec odibilitas vel disconvenientia inveniri potest: tum in mera privatione proprietatis, vel boni, quod a natura entis exigatur; tum in positiva additione entitatis non convenientis. Ita, v. gr., malum esset pro homine carere oculis vel habere cornua.

III. Juxta sensum communem non habet rationem mali carentia vel negatio alicujus boni, quod a natura entis non exigatur, v. gr., carentia visus in arbore.

IV. Malum dividitur in PHYSICUM et MORALE. Hoc ultimum *consistit in actione* (vel omissione) *libera, quae disconveniens sit naturae rationali, quatenus ipsi imputabilis est.* Malum physicum comprehendit quidquid est disconveniens naturae entis quin habeat malitiam moralem, vel quin consideretur hanc habere.

**93. De natura mali.** — Ut melius intelligatur natura mali, duas sequentes propositiones statuemus.

I. MALUM NON EST ENS QUODDAM REALE SUB OMNI RATIONE MALUM. Quia omne ens reale et positivum habet, ut diximus, bonitatem transcendentalem.

II. MALUM NON POTEST INVENIRI NISI IN ENTE REALI ET POSITIVO, AC PROINDE BONO. Quia disconvenientia respectu alicujus entis non potest agnosci nisi in alio ente positivo, vel in privatione boni quod ab ipso ente exigatur; haec autem suo modo est in ente, quod illud bonum exigit et non habet.

## ARTICULUS II

### DE PERFECTIONE ET INFINITUDINE

**94. Declaratio conceptus perfectionis.** — PERFECTIO in genere est *quodlibet praedicatum ratione cujus subjectum redditur aestimabile*, et ita confunditur cum bonitate transcendentali. Saepe tamen sumitur perfectio magis stricte pro complexu omnium praedicatorum, quibus aliquod ens juxta suam naturam potest, vel saltem debet, reddi aestimabile. Ita, v. gr., quilibet homo habet *varias perfectiones*, primo sensu acceptas; sed non ideo dicitur *homo perfectus*, seu habens *perfectionem* secundo sensu acceptam.

**95. De ente finito et infinito in perfectione.** — I. Ens ratione perfectionum, quas secum identificet, potest esse FINITUM vel INFINITUM. Est finitum illud ens *quod habet finem seu limitem in suis perfectionibus*, seu *quod caret ulteriore perfectione possibili*. Dicimus *possibili*, quia negatio alicujus perfectionis vel gradus perfectionis impossibilis non habet rationem finis aut limitis. Ex dictis infertur conceptum entis finiti esse partim *positivum*, siquidem importat aliquam perfectionem, et partim *negativum*, etenim negat ulteriorem perfectionem possibilem.

Infinitum est *quod caret fine seu limite in suis perfectionibus*, seu *quod includit omnem perfectionem possibilem*. Si aliquod ens in uno tantum genere perfectionis careret limite, esset infinitum *relative* ad illud genus perfectionis. (V. Los., *Phys.*, tr. 3, dp. 3 — tm. 6, p. 248).

II. Quoniam aliquid eo plenius est ens, quo majorem habet perfectionem, ideo ens absolute infinitum dici solet *ens absolutum*, et e contra ens finitum vocatur *ens relativum*. Hoc ultimum est potentiale; ens autem absolutum est actus purus (v. n. 18, III).

**96. Declaratio notionis indefiniti.** — INDEFINITUM

dicitur illud *quod non habet limitem fixum seu determinatum, quia jugiter accipit novam perfectionem vel augmentum.* Ita, si concipio lineam semper ulterius protractam, habeo lineam indefinitam. Ab scholasticis indefinitum vocari solet *infinitum syncathegorematicum*, seu *in potentia;* ens autem proprie infinitum, dicitur *infinitum cathegorematicum*, seu *in actu.* Sed notandum est, hoc infinitum in potentia nunquam evadere infinitum in actu.

**97. De formatione notionum finiti et infiniti.** — I. Quod nos habeamus notionem *finiti* nemo unquam negavit; sed rationalistae scholae transcendentalis, postquam intellectum humanum autonomum sibique sufficientissimum declararunt, infiniti notionem ipsi denegant.

Hi auctores confundunt *comprehensionem* infiniti cum mera *notione* ipsius. Comprehensionem infiniti, neque habemus, neque habere possumus, siquidem intellectus finitus nequit exhaurire cognoscibilitatem infiniti; sed possumus habere et de facto habemus veram notionem infiniti, ut constat ex n. 95.

II. Descartes, Malebranche et omnes ontologi affirmant notionem infiniti praerequiri ad notionem finiti, eo quod haec efformari debeat per limitationem infiniti. Attamen Descartes et alii in hoc differunt, quod hi censent notionem infiniti esse intuitivam, Descartes vero agnoscit esse abstractivam.

III. Ex adverso Locke et materialistae asserunt notionem infiniti efformari per solam aggregationem perfectionum finitarum prius cognitarum.

IV. Nos non habere intuitionem infiniti, experientia constat; non habere ideam innatam, sive finiti, sive infiniti, ex Psychologia supponimus; quomodo hujusmodi ideae efformantur, declarabimus sequentibus thesibus, postquam demonstraverimus notionem infiniti longe differre a notione transcendentali entis.

**98.** THESIS 1.ª — **Transcendentalis conceptus entis longe differt a conceptu infiniti.**

PROB. — Duo conceptus differunt ad invicem, si discriminantur in extensione et in comprehensione; atqui transcendentalis conceptus entis et conceptus infiniti longe discriminantur in extensione atque in comprehensione; ergo transcendentalis conceptus entis et conceptus infiniti longe differunt inter se.

PROB. MIN. — Transcendentalis conceptus entis habet extensionem maximam, siquidem applicatur omnibus omnino rebus; comprehensio autem ejus est minima tum propter legem traditam in Dialectica (n. 7, II), tum quia exhibens notam communem omnibus omnino rebus, nihil habet determinatum praeter oppositionem cum impossibilitate existendi. E contra, conceptus infiniti gaudet comprehensione maxima, siquidem includit omnes perfectiones possibiles in summo gradu; atque ideo habet extensionem minimam, etenim, ut demonstrabitur postea (n. 142), ens infinitum necessario est unicum.

**99. Objectio.** — Transcendentalis conceptus entis exhibet menti ens absque ulla limitatione; atqui tale ens est infinitum; ergo transcendentalis conceptus entis est conceptus infiniti.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: illud exhibet absque limitatione *praecisive*, CONC.; *exclusive*, NEGO. — CONTRADIST. MIN., et NEGO CONQM. — Si conceptus entis excluderet limitationem, non posset applicari rebus finitis.

**100.** THESIS 2.ª — **Generalis conceptus entis finiti non praesupponit conceptum entis infiniti, sed efformatur per abstractionem ex entibus experientia cognitis.**

PROB. — Experientia, sive interna, sive externa, nobis exhibet semper entia majoris vel minoris perfectionis, sed finita et limitata; ergo ad efformandum conceptum generalem entis finiti, sufficit abstrahere a differentiis horum entium, sicut ad efformandum conceptum genericum *homo* sufficit abstrahere a differentiis quae inter homines inveniuntur.

**101.** THESIS 3.ª — **Conceptus entis infiniti, quem**

**habemus, non efformatur coacervando perfectiones finitas, sed addendo conceptui generali perfectionis remotionem omnis limitis.**

1.ª PARS, PROB. — Coacervatio perfectionum finitarum tantum effingeret conceptum entis majoris perfectionis, sed finiti, vel ad summum indefiniti.

2.ª PARS, PROB. — Omnia entia experientia nobis nota, duo exhibent elementa, scilicet, perfectionem et limitem in ipsa perfectione; si autem conceptui generali perfectionis, praescindenti tantum a limite, addimus remotionem omnis limitis, habebimus conceptum infiniti, juxta definitionem traditam.

**102. De possibilitate infiniti actualis.** — I. Tantum discuti potest in hoc loco utrum possit de facto existere infinitum *relativum*, v. gr., aliquis numerus infinitus, aliqua vis infinita, etc. Non est agendum de possibilitate entis absolute infiniti, quia postea demonstrabitur ens necessario existens omnes habere perfectiones possibiles in summo gradu possibili; neque de possibilitate infiniti in potentia, seu indefiniti, dubitandum est, quia evidenter Deus posset jugiter creare, v. gr., alios et alios angelos sine fine. Immo, nos tantum discutiemus possibilitatem *numeri* infiniti; cui aequiparari potest *extensio* infinita (v. n. 105, I).

II. Admittunt possibilitatem numeri infiniti: 1.°, materialistae, qui supponunt, quamvis id non probent, dari de facto infinitum numerum atomorum; 2.°, Leibniz, qui etiam affirmat, sine probatione, numerum *monadarum* esse infinitum; 3.°, paucissimi scholastici, inter quos nominandi videntur Toledo et Vazquez, qui tamen de sola possibilitate agunt.

III. Communis sententia scholasticorum negat possibilitatem numeri infiniti, sed plures fatentur repugnantiam illius non plene demonstrari. (V. Los., *Phys.*, l. c., c. 2 — tm. 6, p. 264).

**103. Argumentum pro impossibilitate numeri infiniti.** — Supponamus numerum infinitum existere de facto, et ab ipso substrahi, v. gr., mille unitates. Hac

substractione facta, numerus remanens non potest esse infinitus, siquidem non habet omnes unitates possibiles; si autem est finitus, sequitur quod ille numerus finitus additis mille unitatibus constituit infinitum, quod aperte est absurdum. Ergo existentia numeri infiniti, ex qua aliquid absurdum eruitur, etiam est absurda.

**104. Declaratur insufficientia argumenti.** — Argumento allato responderi potest:

1.° Rationem factam retorqueri in numero possibilium, quae sine dubio cognoscuntur a Deo actu et simul, quamvis dicantur cognosci distributive. Interroganti enim ¿quot objecta possibilia distributive cognoscat Deus? respondendum est: infinita. Hoc autem supposito, similiter quaeri potest ¿quot objecta possibilia remanent praescindendo a mille ex ipsis?

2.° Numerum posse vocari infinitum duplici sensu; scilicet, eo quod habeat omnes unitates possibiles (et hoc sensu neque solus numerus, v. gr. angelorum, esset omnino infinitus), vel eo solo quod non possit exprimi ullo numero arithmetico. Numerum autem remanentem e multitudine infinita, demptis aliquibus individuis, posse esse infinitum hoc secundo sensu.

**105. Corollaria impossibilitatis numeri infiniti.** — Hac impossibilitate supposita, eruuntur ex illa corollaria sequentia.

I. Repugnat molis vel extensio infinita. Quia in tali mole vel extensione possent considerari partes determinati valoris, quarum numerus esset infinitus.

II. Actualis divisio voluminis vel extensionis finitae nequit protrahi usque ad infinitum. Etenim partes separatae vel designatae constituerent numerum infinitum.

III. Infinita perfectio Dei non repugnat propter ejus simplicitatem. Propter hanc enim neque mentaliter possunt designari in divina perfectione partes physice distinctae, quae numerum efforment.

## ARTICULUS III

### DE NOTIONE UNITATIS TRANSCENDENTALIS ET ALIIS CUM EA CONNEXIS

**106. Declaratio notionis unitatis.** — I. Nulla res dicitur *una*, nisi eo sensu, quo entitas ipsius non constat, vel videtur non constare, partibus divisis. Ita, v. gr., tota aqua contenta in vase dicitur quid *unum*, quia non apparet in ejus massa ulla divisio, sicut apparet inter illam et vas; et similiter corpus humanum, quia illius partes, v. gr., caro et ossa, quamvis sensibiliter distinguantur, ab ipsa natura conjunguntur modo permanenti. Hinc autem sequitur UNITATEM, seu formam logicam denominationis *unum*, importare *indivisionem in entitate*.

II. Plures auctores opinantur unitatem in hac sola indivisione consistere; sed alii, nostro judicio rectius, censent illam insuper importare *divisionem a qualibet alia entitate* (1). Ratio est, quia secus quaelibet pars rei *unius*, utpote *indivisa in sua entitate*, esset etiam *una* quamvis consideraretur ut ab aliis partibus non divisa; ac proinde illa res, ut constans partibus indivisis, tam proprie dici posset *una* quam *multiplex*. Dicendum ergo videtur nullam rem esse *unam*, nisi eo sensu quo (praeter indivisionem in se) habet, vel consideratur quasi haberet, divisionem a qualibet alia entitate.

III. Ex dictis infertur unitatem entis non addere ipsi ullam entitatem, etenim ens quodlibet eo ipso est *unum*, quo est *ens;* sed notio unitatis magis explicite exhibet, quam notio entis, indivisionem in se et divisionem a quolibet alio.

IV. Unitas saepe accipitur in concreto, seu pro ente *uno*. (V. Los., l. c., n. 130, p. 92).

(1) Haec divisio potest esse mere negativa, seu haberi per non existentiam entitatis conjunctae.

**107. Divisiones unitatis.** — I. Unitas potest esse SIMPLICITATIS vel COMPOSITIONIS, prout ens partibus distinctis careat, vel ex illis coalescat. Ita anima humana habet unitatem simplicitatis; homo autem, vel materia ipsius, unitatem compositionis.

II. Dividitur in SUBSTANTIALEM et ACCIDENTALEM. Prima convenit substantiae indivisae in se et divisae a qualibet alia *substantia;* accidentalis autem habetur in complexu substantiae et accidentis, vel plurium substantiarum. Ut patet, unitas plurium substantiarum est omnino impropria.

**108.** THESIS. — **Unitas transcendentalis est attributum entis.**

PROB. — A nemine vocatur *ens* (simpliciter et singulariter) illud quod apparet divisum in se, vel unitum alteri, sed tantum illud quod est, vel apparet, in se indivisum et a quolibet alio divisum; ergo nihil est verum *ens* (simpliciter et singulariter), quod non habeat veram unitatem sensu explicato.

**109. De conceptibus multitudinis et numeri.** — I. Conceptui unitatis opponitur aliquomodo conceptus PLURALITATIS, seu MULTITUDINIS; sicut enim habetur unum ens per entitatem vel entitates indivisas, ita habentur multa vel plura entia per entitates divisas. Pluralitas ergo vel multitudo (in abstracto) est *divisio entitatum.*

II. Conceptum multitudinis conceptus NUMERI consequitur, qui (fundamentaliter acceptus) definiri potest: *complexus entitatum quarum recensio incipi potest.* Dicimus *incipi*, ne excludatur *a priori* possibilitas numeri infiniti, in quo recensio entitatum non posset finiri; atque etiam ut intelligatur partes (nondum designatae) durationis et extensionis vere continuae non efformare numerum; etenim quum non sint ullo modo *indicatae* a parte rei, earum recensio nondum *incipi* potest (1). Porro facta recensione aliquarum entitatum,

(1) V. *Razón y Fe*, t. 31, p. 463.

exprimitur quot sint numero arithmetico, seu *formali*.

**110. Notandum.** — Unitas transcendentalis, de qua mox agebamus, vocari solet *numerica*, quia est fundamentum numeri, et ut distinguatur ab unitate *logica*, quam habent individua ejusdem generis vel speciei (v. n. 112, II).

**111. Declaratio conceptus identitatis.** — Ex conceptu unitatis derivatur conceptus IDENTITATIS, quae definitur: *unitas entis secum ipso;* etenim ens, consideratum in ordine ad se, vocatur identicum. Etiam definiri posset identitas: *omnimoda convenientia*, *vel coincidentia*, *in entitate*. Propterea enim anima et homo non sunt *idem*, quia non omnino conveniunt in entitate; et e contra, Petrus est *idem* secum, vel cum *hoc homine*, quia omnino in entitate convenit, sive secum, sive cum *hoc homine* (v. Los., *Log.*, tr. 2, dp. 1 — tm. 2, p. 6).

**112. Divisiones identitatis.** — Identitas dividitur in PHYSICAM *seu* REALEM et METAPHYSICAM *seu* RATIONIS, quae etiam vocatur FORMALIS aut LOGICA.

I. Identitas *realis* datur independenter ab omni consideratione mentis. — Subdividitur in TOTALEM et PARTIALEM, atque etiam in PHYSICAM et MORALEM.

Identitas *totalis* est illa, cui perfecte quadrat definitio tradita: *omnimoda convenientia in entitate.—Partialis* vero *habetur inter res quarum una includit alteram*, *vel partem illius*, v. gr., inter hominem et animam, vel inter divitem et hominem. Haec identitas partialis est valde impropria, nisi pars, in qua res conveniunt, sit totum *rectum* utriusque; tantum enim in hoc casu permittit alteram rem de altera affirmari. Ita, nequit dici *homo est anima*, sed quidem *hic homo est dives* (v. Dial., n. 40, nota).

Identitas *physica* (totalis vel partialis) vere datur a parte rei; identitas *moralis* tantum datur juxta prudentem aestimationem generis humani, v. gr., identitas corporis ejusdem hominis in temporibus valde distantibus.

II. Identitas *metaphysica*, seu rationis, non datur

nisi posito aliquo conceptu nostro. — Subdividitur in duas classes valde inter se differentes, quae vocari possent PURA et MIXTA.

Identitas metaphysica *pura* est illa, quae *habetur inter res realiter distinctas, sed respondentes eidem conceptui generali*, sub quo ab intellectu non distinguuntur. Ita, Petrus et Paulus sunt *idem* in ratione *hominis*. — *Mixta* autem identitas metaphysica *habetur, quum ex sola comparatione duorum conceptuum apparet objectum unius semper identificari realiter cum objecto alterius*, ac proinde unum posse de altero universaliter affirmari; ita dici potest, v. gr., *homo est animal rationale*, vel *animal est vivens*. Haec identitas saepe non est mutua, ut patet ex ultimo exemplo, siquidem nequit dici *vivens est animal* (universaliter loquendo).

**113. Declaratio conceptus distinctionis.** — Dicuntur distincta, illa entia, quarum unum non est aliud, seu quae non identificantur; DISTINCTIO, igitur, definiri potest: *negatio omnimodae convenientiae in entitate.*

**114. Divisiones distinctionis.** — Distinctio, sicut identitas, dividitur in PHYSICAM *seu* REALEM et METAPHYSICAM *seu* RATIONIS, quae etiam vocatur FORMALIS aut LOGICA.

I. Distinctio *realis* datur independenter ab omni consideratione mentis; et subdividitur in TOTALEM et PARTIALEM.

Distinctio *totalis* habetur *inter res, quarum neutra includit aliam, vel partem illius*, v. gr., inter Petrum et Paulum. — *Partialis* vero habetur *inter res quarum una includit aliam, vel partem illius*, v. gr., inter hominem et animam, vel inter divitem et hominem. Ut patet, haec distinctio partialis semper conjungitur cum partiali identitate; atque est magis propria, si non habetur propter solum obliquum, ut accidit inter *hominem* et *divitem*, qui omnino conveniunt quoad rectum.

II. Distinctio *metaphysica*, seu rationis, non datur nisi positis quibusdam conceptibus nostris. Et subdividitur, sicut identitas ejusdem ordinis, in duas clas-

ses valde differentes, quae vocari possent PURA et MIXTA.

Distinctio metaphysica *pura* habetur, quum *una eademque res respondet duobus conceptibus, quorum sola comparatio non ostendit illos convenire uni eidemque rei.* Ita, v. gr., per conceptus *animal* et *rationale* habetur distinctio rationis pura in Petro. — *Mixta* autem distinctio metaphysica habetur, quum *ex sola comparatione duorum conceptuum apparet objectum unius non identificari realiter, saltem semper, cum objecto alterius*, ac proinde non posse unum de altero affirmari, saltem universaliter; ita non potest dici *vivens est animal.* Haec distinctio, sicut identitas metaphysica *mixta*, saepe non est mutua, ut patet ipso exemplo allato, siquidem *animal* semper est *vivens.*

**115. Notanda.** — 1.$^{m}$ Ex dictis intelligi potest quid sit loqui de aliqua re in sensu reali vel in sensu formali. Loqui enim in sensu reali est accipere rem sicut est extra intellectum, loqui autem in sensu formali est illam accipere sicut mente concipitur vi termini quo designatur. *Homo*, v. gr., est in sensu reali vel Petrus, vel Paulus, etc.; in sensu formali neque est Petrus, neque Paulus, neque alius; in utroque sensu est *animal.* Similiter in sensu reali aliquod animal est rationale, in sensu formali nullum animal est rationale. — Sensus formalis indicari solet anteponendo terminis particulam *ut*, *prout*, *quatenus* vel *in quantum.*

2.$^{m}$ A pluribus auctoribus distinctio rationis pura, quam supra definivimus, denominatur *virtualis*, vel *rationis ratiocinatae*, quia fit cum fundamento in re; et praeter illam admittitur distinctio *rationis ratiocinantis*, quae nullum habet in re fundamentum, sed ab intellectu fit, vel per conceptus synonimos, ut *ensis* et *gladius*, vel per iterationem ejusdem, ut *homo* et *homo.* Haec ultima distinctio fit, vel suponitur, inter subjectum et praedicatum propositionis identicae, v. gr., *homo est homo.* — Admitti etiam solet distinctio rationis *penes implicitum et explicitum*, qualis habetur inter definitum et definitionem.

Ut patet, neutra ex his distinctionibus potest vocari proprie distinctio, sed potius identitas rationis mixta, quia statim menti apparet objectum respondens conceptibus ita distinctis esse realiter idem.

3.m IDENTITAS ET DISTINCTIO REALIS SUNT OMNINO IMMUTABILES MANENTE EXISTENTIA RERUM. Si enim A, quod heri fuit distinctum a B, hodie fieret idem cum B, sequeretur aperta contradictio, nempe quod A esset hodie illud ipsum quod fuit heri, et simul non esset illud ipsum : esset, quia secus non fieret sermo de eodem A ; et non esset, quia heri fuit aliud a B, et hodie non est aliud a B. — Dicimus *manente existentia rerum*, quia quum res desinit esse, amittit suam identitatem realem secum ipsa.

4.m Ex modo dictis sequitur REALEM SEPARABILITATEM IN EXISTENDO, etiam non mutuam, ESSE SIGNUM INDUBIUM DISTINCTIONIS REALIS, saltem partialis. Si enim A et B identificarentur totaliter, et existente A posset deficere B, variaretur identitas rei A, ipsa re A existente. Et idem dici debet de reali separabilitate quoad locum, scilicet, si alicubi datur res A, quin ibi detur res B. Ita v. gr., quia *anima* potest existere, vel esse in aliquo loco, quin existat, vel sit in illo loco *homo;* sequitur *animam* et *hominem* distingui realiter.

Etiam ex reali productione, vel ex relatione reali, erui posset realis distinctio ; sed philosophice constare nequit inter duo haberi realem productionem, vel relationem, prius quam sciatur illa esse distincta.

**116. Objectio.** — *Paries* identificatur cum *albo*, dicitur enim *paries est albus;* et tamen existere potest *paries*, quin sit *albus*. Ergo realis separabilitas non est signum indubium distinctionis realis.

RESPONSIO. — DIST. 1.m P. ANTEC. : identificatur *quoad rectum*, CONC. ; etiam *quoad obliquum*, NEGO. — Ad affirmandam unam rem de altera, non requiritur identitas omnino adaequata, sed sufficit identitas *quoad solum rectum.*

## ARTICULUS IV

### DE INDIVIDUO EJUSQUE GRADIBUS METAPHYSICIS

**117. Declaratio notionis individui et individuationis.** — I. INDIVIDUUM saepe sumitur pro *hypostasi*, nunc autem accipitur ut universali oppositum; porro hoc sensu est illud *quod multiplicari nequit in rerum natura*. Ita, v. gr., *haec albedo* est individua; sed *albedo* ut talis, minime (v. Crit., n. 124 et seq.).

II. Forma logica intrinseca, seu ratio intima et propria, qua res aliqua redditur individua, vocatur *individuatio*, *singularitas*, *differentia individualis* vel *numerica*, et, praesertim in schola scotistarum, *haecceitas*, quia videlicet per illam res est *haec* et non alia. Et respectu rerum, quae pertinent ad eamdem speciem infimam, individuatio denominatur differentia *pure individualis*, vel *pure numerica*.

III. Individuatio naturae humanae extrinsecus manifestatur notis illis, quae *individuantes* vocantur, scilicet, *figura*, *complexu qualitatum*, *loco*, *tempore*, *stirpe*, *patria* et *nomine* (v. Los., *Log.*, tr. 3, dp. 5, c. 6 — tm. 3, p. 51).

**118.** THESIS 1.ª — **Quaelibet entitas, si consideratur prout est in rerum natura, seu absque ulla abstractione, est individua.**

PROB. — Si eadem entitas, prout existit in rerum natura, esset simul multiplex, esset universale quoddam a parte rei, quod jam in Critica rejectum est.

**119.** THESIS 2.ª — **Differentia pure individualis logice addit aliquid positivum rationi specificae.**

PROB. — Differentia pure individualis tribuit naturae specificae immultiplicabilitatem, quam illa de se non importat; atqui ex sola negatione non potest haberi immultiplicabilitas; ergo differentia pure individualis logice addit aliquid positivum rationi specificae.

**120. De gradibus metaphysicis.** — I. Gradus metaphysici dicuntur illa praedicata, quibus gradatim descendimus a suprema ratione *entis* usque ad ultimam rationem alicujus individui; v. gr., haec praedicata *ens*, *substantia*, *corpus*, *vivens*, *animal*, *homo*, *Petrus* (v. Dial., n. 23). In his includuntur differentiae, quibus gradus superiores ad inferiores contrahuntur. In exemplo allato differentiae sunt *substantialitas* (vel perseitas), *corporeitas*, *vita*, *animalitas*, *rationalitas*. *Petreitas*.

II. Experientia constat, inter gradus metaphysicos universaliter sumptos dari distinctionem rationis mixtam, siquidem gradus superiores possunt universaliter affirmari de inferioribus, sed non viceversa. Sed adhuc quaeritur utrum in singulis individuis differentiae contractivae, et consequenter ipsi gradus metaphysici, habeant, vel non, aliquam distinctionem independentem a conceptibus nostris.

III. Nonnulli antiqui opinati sunt has differentias esse distinctas in singulis individuis tamquam rem a re. Scotistae censuerunt non posse dici distinctas *res*, siquidem constituunt unam solam rem, et sunt ita connexae et colligatae, ut nec divinitus separari possint; sed esse *formalitates* distinctas ex natura rei, eo quod habeant diversas conceptibilitates. Communior autem sententia philosophorum negat has differentias habere ullam distinctionem independentem a conceptibus nostris (v. Los., *Log.*, tr. 2, dp. 1, n. 23 — tm. 2, (p. 16) (1).

IV. Ab aliquibus auctoribus rejicientibus inter gradus metaphysicos omnem distinctionem independentem ab intellectu, asseritur illos gradus dividi in ipsis rebus

(1) P. Lynce rejecit omnem distinctionem actualem inter illas differentias, sed propugnavit eas habere *distinctionem virtualem intrinsecam*, seu *aequivalentiam distinctionis*, permittentem suscipere simul praedicata ex se contradictoria. Haec opinio non indiget refutatione speciali; nam ex dicendis constabit contradictionem inter praedicata illarum differentiarum sufficienter tolli per distinctionem rationis. Quod si ita non esset, agnoscenda foret vera distinctio actualis inter eas differentias.

per actus intellectus nostri. Juxta hanc sententiam, positis, v. gr., his conceptibus: *animal* et *rationale*, ipsa entitas hominis dividitur per illos in duas *rationes*, quarum una attingitur primo conceptu et non secundo, altera autem attingitur secundo et non primo (v. Urrab., *Inst. phil.*, vol. 2, n. 110).

Alia sententia docet nullam divisionem fieri in ipso objecto inter gradus metaphysicos per conceptus, quibus illi ratione nostra distinguuntur, sed totam entitatem objecti indivisibiliter respondere cuilibet eorum conceptuum (illam exprimentium imperfecte et diversimode).

Juxta primam opinionem dicitur conceptus nostros *praescindere objective* alia praedicata rerum ab aliis; juxta secundam *praescindere formaliter* (1).

**121.** THESIS 3.ª — **Inter gradus metaphysicos ejusdem individui nulla datur distinctio actualis independens ab intellectu.**

PROB. 1.° — Supponentes sententiam adversariorum, loquamur de entitate vel formalitate, quae in Petro est, v. gr., *animalitas*, condistincta a caeteris differentiis. Sine dubio illi entitati, indivisibiliter sumptae, conveniunt (praeter suam rationem quasi-specificam) ratio generalissima *entis*, generalis ratio *differentiae specifi-*

(1) Aliqui male proponunt et male impugnant praecisionem formalem, quia non recte interpretantur verba clarissimi P. Lossada (*Log.*, tr. 2, dp. 1, c. 7, n. 1 — tm. 2, pag. 77) dicentis cognitionem esse formaliter praecisivam, *si cuncta praedicata tenui repraesentationis claritate attingat*. Intelligunt enim his verbis, praeter claram repraesentationem unius praedicati, exigi repraesentationes tenues caeterorum praedicatorum. Sed illius locutionis (revera non omnino felicis) sensus est ipsissimam repraesentationem, quae dicitur clara respectu unius praedicati, esse imperfectam, seu *tenuem*, respectu *omnium* praedicatorum *objective sumptorum* (sicut imperfecta, seu *tenuis*, est respectu totius entitatis, cum qua illa praedicata identificantur); ita ut praedicata, a quibus illa repraesentatio formaliter praescindit, materialiter et identice cognoscantur, absque ulla divisione intentionaliter facta in ipso objeto. Hunc esse tam praeclari auctoris sensum, nobis videtur evidens: tum, quia ipse eodem loco declarat cognitionem formaliter praecisivam ita attingere totam realitatem objecti, ut vi illius hoc perinde appareat, ac si unicum praedicatum haberet; tum, quia in suis argumentis et responsionibus ad difficultates nihil aliud exigit aut supponit.

*cae*, atque etiam *haecceitas* determinata, qua numerice distinguitur a differentia ejusdem nominis alterius individui, v. gr., ab animalitate Pauli. Ex hoc, igitur, inferimus quod pariter convenire possunt toti entitati, indivisibiliter sumptae, cujuslibet individui, v. gr., Petri, omnes gradus metaphysici, qui de illo praedicantur; ac proinde non est cur inter illos gradus admittatur in singulis individuis ulla distinctio actualis, independens ab intellectu.

1.ª PARS ANTEC. constat, quia secus illa entitas esset *nihil*. — 2.ª PARS, quia si in animalitate ponerentur duae entitates, quarum altera esset *differentia specifica* in abstracto, altera vero contraheret hanc rationem ad *animalitatem;* haec secunda entitas iterum esset *determinata differentia specifica*, ac proinde etiam deberet subdividi in alias duas entitates, et ita porro. — 3.ª PARS, quia ex terminis repugnare videtur, distinctionem, qua independenter ab intellectu unum non est aliud, haberi *formaliter* per tertium quid.

PROB. 2.° — Quum dicitur, v. gr., *animal Petri est rationale*, sensus non est *idem subjectum habere animalitatem et rationalitatem instar formarum accidentalium* (sicut quum dicitur *album est dulce);* secus illud subjectum non esset secundum se rationale nec irrationale, sensibile nec insensibile, corporeum nec incorporeum, imo nec substantia nec accidens; quo nihil absurdius.

**122.** THESIS 4.ª — **Per actus intellectus nostri nulla fit divisio in ipsis rebus inter gradus metaphysicos.**

PROB. — Positis, v. gr., his duobus conceptibus: *animal* et *rationale*, vel realitas objectiva respondens priori in quolibet homine, et realitas respondens alteri, sunt omnino eadem realitas (scilicet, tota realitas hominis) vel non. Si secundum, dicendum esset has realitates jam fuisse distinctas in homine antequam elicerentur illi actus, siquidem hi non possunt immutare identitatem vel distinctionem realitatum; ac proinde admittenda esset inter gradus metaphysicos aliqua distin-

ctio independens ab intellectu. Si primum, evidenter sequitur ipsam realitatem respondentem conceptui *animal*, indivisibiliter respondere conceptui *rationale*, et vice versa.

**123. De principio individuationis pure numericae.** — Juxta scholam dominicanam, quamvis entitas quaelibet individuationem habeat a se indistinctam, attamen differentiatio *pure individualis* incipere debet, seu fundari, in subjectis; ideoque formae physicae non possunt habere differentias pure individuales, nisi quatenus habeant ordinem ad subjecta pure individualiter distincta. Porro hinc sequitur: in substantiis angelicis, quae sunt veluti formae sine subjecto, non posse dari differentias pure individuales, sed unamquamque speciem infimam ex suo solo conceptu esse jam prorsus immultiplicabilem; et in substantiis corporeis posse dari multiplicationem pure individualem, quia tamquam subjectum includunt materiam, quae ex suo conceptu solam multiplicationem pure individualem habere potest. Quum autem videant hi auctores animas humanas individuas non dicere ordinem ad determinatam materiam nude sumptam, ipsi adjungunt certam quantitatem et alias entitates accidentales, quas in illa praesupponant animae determinatae (v. Los., *Met.*, dp. 1, c. 6, n. 136 — tm. 10, p. 95).

**124.** THESIS 5.ª — **Nulla ratio urgens habetur ad fundandam in materia omnem differentiationem pure individualem.**

Ad probandam thesim sufficit respondere argumentis adversariorum.

**Argumentum 1.**$^{m}$ — Pure individualis differentia apud omnes philosophos vocari solet *materialis*, et e contra differentia specifica dicitur *formalis;* ergo illa fundatur in materia, et haec in forma.

RESPONSIO. — Hic modus loquendi tantum significat differentiam pure individualem se habere *de materiali* pro scientiis, quae tantum curant de universalibus, ut sunt res specifice consideratae. Praeterea indi-

viduum, vel individuatio, dici potest *materia* analogice, quatenus est primum subjectum in ordine logico, sicut materia est primum subjectum in ordine physico. Et ideo Aristoteles ait (1 De caelo, t. 92): «Aliud est hoc caelum, aliud caelum simpliciter. Hoc ultimum est ut species et forma; illud, quasi mixtum cum materia». Et nota etiam quod saepe dicitur genus sumi a materia, eo quod commune sit, quin ex hoc liceat inferre rationes genericas fundari magis in materia, quam in forma.

**Argumentum 2.m** — Individuum est primum subjectum in ordine logico; ergo apte fundatur ratio individui in primo subjecto physico, seu materia.

Responsio. — Haec ratio non convincit, siquidem longissime differunt primum subjectum logicum et primum subjectum physicum. Ita, v. gr., in angelis datur primum subjectum logicum caeterorum graduum metaphysicorum, sed non primum subjectum physicum (substantiale); et ubique subjectum logicum, secus ac physicum, includit in se illa, de quibus subjectum dicitur.

**Argumentum 3.m** — De ratione individui est incommunicabilitas; atqui materia, non autem forma, est de se incommunicabilis; ergo in illa fundari debet ratio individui.

Responsio. — Individuo sufficit esse incommunicabile ut ratio universalis, materia autem solum dicit de se incommunicabilitatem per modum actus physici. Atque etiam notandum est naturas angelicas, quamvis vocentur formae, jam esse de se incommunicabiles per modum actus, ac proinde in ipsis fundari posse, sicut in materia, individuationem pure numericam.

**Argumentum 4.m** — Differentiatio pure individualis est propria materiae; ergo in illa sola est fundanda.

Responsio. — Quamvis materia nullam possit habere differentiationem praeter pure individualem, non ideo sequitur hanc differentiationem non posse haberi nisi fundatam in illa.

**Argumentum 5.**[m] — Non intelligitur quid possit esse differentia pure individualis formarum, nisi desumatur ex individuatione subjecti.

RESPONSIO. — Non intelligitur facilius subjectum esse *hoc*, quin respiciat formam individuam, quam formam esse *hanc*, quin respiciat subjectum individuum.

**Argumentum 6.**[m] — Si potest dari differentiatio pure individualis in formis respicientibus idem omnino subjectum, non apparet cur nequeant esse simul in eodem subjecto plures formae solo numero distinctae, et consequenter *simile agere in simile*.

RESPONSIO. — Tantum gratis supponi potest etiam de potentia absoluta repugnare pluralitatem simultaneam formarum solo numero distinctarum in eodem subjecto, vel de facto no dari successive in iisdem subjectis formas pure numerice distinctas. Quod juxta leges physicas non dentur de facto et simul, nihil probat.

**125. Notandum.** — Quamvis ratione formae potius quam ratione materiae compositum substantiali sit *hoc*, siquidem illa est pars praecipua; attamen recte dici potest: *materiam*, vel etiam quantitatem, *esse rationem cur dentur in ordine corporeo multiplicationes individuorum*, quia ad horum productionem praesupponitur; atque etiam: *materiam signatam omnibus determinationibus praeviis esse occasionem producendi* HOC *individuum*, quatenus distinctum a caeteris coexistentibus, quae necessario materiam distinctam habent; et demum: *materiam cum accidentibus adjunctis esse principium manifestativum individui*.

## OBJECTIONES

**126. Contra thes. 3.**[m] — **Objectio 1.**[a] — Diversitas operationum, v. gr., sentiendi et discurrendi, quae in homine cernitur, exigit principia realiter distincta; non minus quam diversitas operationum rugiendi et latran-

di quae dantur in leone et in cane. Atqui principia operationum sentiendi et discurrendi sunt animalitas et rationalitas. Ergo hae in homine distinguuntur.

RESPONSIO. — NEGO MAJ. — Si pro singulis speciebus operationum ejusdem individui deberent poni totidem principia specifice distincta, ipsa rationalitas coalesceret ex pluribus principiis, siquidem operationes intellectivae et volitivae in plures species dividuntur.

**127. Objectio 2.ª** — Animalitas existere potest sine rationalitate, ut de facto contingit in equo et bruto quovis; haec autem separabilitas est signum evidens distinctionis independentis ab intellectu.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: animalitas illa determinata, quae in homine quolibet invenitur, NEGO MAJ. (scilicet, quod inveniri possit sine rationalitate); animalitas universaliter accepta, vel illa determinata, quae, in bruto quolibet invenitur, CONC. MAJ., (sed haec ultima animalitas nunquam inveniri potest cum rationalitate).

Nunc autem opportunum videtur hoc obiter notare. Quum *animal* a pluralitate et differentiis praecisum, logice indifferens sit ad plures species, et per *rationale* ad speciem humanam determinetur; ideo comparatur *animal* materiae determinabili, *rationale* formae determinanti, et mentalis eorum conjunctio compositioni physicae ex materia et forma. Propterea sensu metaphorico admittuntur locutiones quaedam (v. gr., *homo constituitur ex animali et rationali*, vel *animal includitur in homine)*, quae in sensu proprio et reali sunt falsae.

**128. Objectio 3.ª** — Sancti Patres hortantur ut gratias Deo agamus quod nos fecerit homines et non, v. gr., pecudes; ergo distincti et separabiles sumus a rationalitate, etc.

RESPONSIO. — Gratiarum illa actio debetur Deo, quia loco producendi nos, poterat pecudes vel lapides producere. Etiam potuisset Deus (de potentia absoluta) immittere animam nostram in lapidem, vel in corpus belluinum; sed nullus gradus metaphysicus potest in re-

bus mutari vel auferri, quin omnes alii *in sua entitate* pariter mutentur.

**129. Objectio 4.ª** — Realitas, quae in homine respondet conceptui *animal*, assimilat hominem equo, sed realitas respondens conceptui *rationale* non ita, siquidem reddit hominem dissimilem equo; ergo hae duae realitates suscipiunt praedicata contradictoria. Atqui hujusmodi praedicata convenire nequeunt realitati prorsus eidem; ergo in homine *animal* et *rationale* saltem important distinctas formalitates (1).

RESPONSIO. — NEGO 2.m PARTEM MAJ. (seu realitatem respondentem conceptui *rationale* non assimilare hominem equo), quae non probatur eo quod haec realitas reddat hominem dissimilem equo, hinc enim tantum sequitur illam realitatem non esse prorsus aequalem realitati equi.

Quod si dicas realitates quae in homine et in equo respondent conceptui *animal*, esse prorsus aequales independenter a cognitionibus nostris; negabo donec probes.

**Instantia.** — Ergo homo vere dici poterit equo similis in rationalitate, sicut vere dicitur equo similis in animalitate.

RESPONSIO. — DIST. SEQUEL.: in rationalitate materialiter sumpta, CONC.; formaliter sumpta, vel simpliciter loquendo, NEGO.—Non est idem dicere simpliciter *rationalitas*, ac dicere *realitas respondens conceptui* RATIONALITAS; nam prior terminus significat illam realitatem non ut est a parte rei, sed ut apparet sub conceptu *rationalitas*. Ac proinde qui simpliciter diceret hominem esse similem equo in rationalitate, significaret sive hominem, sive equum, respondere conceptui *rationale* (vel *habens rationalitatem*, scil., per identitatem).

**Instantia.** — Si inter duo individua, v. gr., inter hominem et lapidem, habetur similitudo et dissimilitudo

(1) Haec objectio vocabatur olim *ingeniorum crux* propter ejus difficultatem, quae tamen est magis apparens quam realis.

ratione totius realitatis utriusque, non poterunt esse magis similia quam dissimilia aut e converso.

RESPONSIO.—NEGO SEQUEL.—Similitudo erit major, si inter gradus metaphysicos alterius sint plures alteri convenientes quam non convenientes, et e converso.

**130. Objectio 5.ª** — Realitas quae est *animalitas* definitur: *principium sentiendi*, illa vero quae est *rationalitas: principium discurrendi*. Atqui male darentur duae definitiones ejusdem realitatis. Ergo illae sunt duae realitates distinctae.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: ita definiuntur *praecisive*, CONC.; *exclusive*, NEGO. — Etiam DIST. MIN.: male darentur, si non acciperentur *praecisive*, CONC.; quum ita accipiantur, NEGO. — Animalitas, v. gr., definitur per principium (substantiale) sentiendi, quia quidquid est hujusmodi principium, est animalitas et e converso; sed nihil impedit quominus una eademque realitas sit simul principium sentiendi et principium discurrendi.

**131. Objectio 6.ª** — Animal a parte rei non est tota essentia hominis, alioquin satis definiretur homo per animal; ergo dumtaxat est pars essentiae hominis.

RESPONSIO. — NEGO ANTEC. ET PROBAT. — Quamvis tota essentia hominis sit *animal*, illa non sufficienter definitur nisi dicatur esse etiam *rationale;* secus enim non exprimeretur discrimen essentiae hominis ab essentia equi.

**Instantia.** — *Homo* est aliquid amplius quam *animal;* ergo animal a parte rei non est tota essentia hominis.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: quatenus est capax aliorum praedicatorum quae non conveniunt omnibus animalibus, CONC.; quatenus constet ex realitatibus distinctis a realitate, qua est *animal*, NEGO.

**132. Objectio 7.ª** — Homo non est essentialiter singularis; ergo saltem haecceitates vel singularitates ab essentia distinguuntur.

RESPONSIO — CONC. ANTEC., sed DIST. CONSQNS.: realiter, NEGO; logice et praecisive, CONC. — Ad hoc ut

homo dicatur non esse essentialiter singularis, sufficit quod conceptus *homo* ab omnibus singularitatibus logice praescindat; sicut *animal* non est essentialiter *rationale*, quia ut tale a rationalitate praescindit.

**Instantia.** — Petrus et Paulus habent eamdem essentiam; atqui non habent eamdem singularitatem; ergo in utroque essentia et singularitas distinguuntur.

RESPONSIO. — DIST. MAJ. eamdem per identitatem numericam et realem, NEGO; eamdem per identitatem logicam, seu per actum mentis quo realitas utriusque praescinditur a pluralitate et differenttis individuantibus, CONC.—Similiter dici potest quod homo et equus habent eamdem essentiam *animalis*, quamvis haec in uno sit per identitatem *rationale*, in altero autem *irrationale*.

**133. Objectio 8.ª** — Saltem actus contritionis, quo homo detestatur peccatum propter summam Dei bonitatem, includit formalitates, quibus in sensu reali acceptis conveniunt praedicata contradictoria; ergo admitti debet in ipso aliqua distinctio independens ab intellectu. — Antecedens constat; quia ille actus est amor Dei et odium peccati, ita ut amor terminetur ad Deum et non ad peccatum, et odium ad peccatum et non ad Deum.

RESPONSIO. — Si antecedens esset verum, diceremus actum contritionis esse physice duplicem actum, quamvis moraliter censeatur unus; sed probatio addita nihil valet, nam nulla est contradictio quod eadem realitas quatenus est amor terminetur ad Deum et non ad peccatum, et quatenus est odium terminetur ad peccatum et non ad Deum.

**134. Contra thes. 4.ᵐ — Objectio 1.ª** — Seclusa praecisione objectiva, praedicata realiter identificata, v. gr., *animal* et *rationale*, nequeunt fieri duo per rationem; etenim per eamdem cognitionem qua attingitur unum, eodem modo attingitur alterum, sine ulla partitione vel separatione. Ergo nisi negetur distinctio rationis, admitti debet praecisio objectiva.

RESPONSIO. — NEGO ANTEC., et illud probari ratione addita. — Quamvis sive animal, sive rationale *objectivum*, indivisibiliter respondeant sive conceptui *animal*, sive conceptui *rationale*, nihilominus uterque (indivisibiliter) apparet aliter et aliter sub uno ac sub altero ex his duobus conceptibus; scilicet, sub uno uterque (indivisibiliter) menti apparet *ut animal*, sub altero autem *ut rationale;* et ideo hi duo conceptus efficiunt distinctionem rationis inter animal *ut tale* et rationale *ut tale*.

**135. Objectio 2.ª** — Qui videt hominem a longe se moventem, potest cognoscere illum esse animal et nescire utrum sit rationale; ergo praescindi potest objective animal a rationali.

RESPONSIO. — CONC. ANTEC., sed NEGO SUPPOSITUM CONSEQUENTIS, scil. rationale *objectivum* non cognosci; nam cognoscitur *ut animal*, sicut ipsum animal *objectivum*.

**136. Objectio 3.ª** — Etiam admissa praecisione formali, contradictoria praedicari possunt de animali et de rationali; nam cognitio *animal* praescindit formaliter a rationali, non autem ab animali. Ergo pariter ea cognitio attingere potest animal et non rationale objectivum.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: contradictoria vere talia, NEGO; apparenter talia, CONC. — Quum dicitur cognitionen *animal* praescindere formaliter ab animali, non autem a rationali, intelligitur animal et rationale sumi *ut talia*. Ita autem nulla habetur contradictio, posita praecisione formali; nam illa cognitio non magis praescindit a rationali *ut tali*, quam ab ipso animali *ut rationali;* nec minus praescindit ab animali *ut tali* quam a rationali *ut animali*.

**137. Objectio 4.ª** — Voluntas amare potest bonum in communi, quin peccet, ac proinde quin amet differentiam, qua ratio boni contrahitur ad peccatum; ergo etiam intellectus potest cognoscere bonum in communi, quin cognoscat illam differentiam.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC. primi enthym.: si ille amor ponitur sine advertentia ad hoc quod ratio boni in

communi convenit bonis illicitis, CONC.; si ponitur cum hac advertentia et non restringitur ad bona licita, NEGO. — Etiam DIST. CONSQS. primi enthym.: quin amet illam differentiam *ut talem*, CONC.; ut respondentem rationi boni in communi, NEGO. — Si voluntas (peccans, vel non peccans) amat bonum in communi sine ulla restrictione, absque dubio amat omnes realitates de quibus illa ratio communis praedicari potest per identitatem, quatenus conceptui boni in communi respondentes.

**138. Objectio 5.ª** — Species impressae (qualitates quaedam, quibus indiget intellectus ad suas cognitiones, ut supponitur ex Psychologia) non semper habent vim repraesentandi omnes perfectiones suorum objectorum; ergo intellectus habens speciem unius tantum perfectionis non poterit alias attingere, utcumque cum prima identificatas.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: non semper habet vim repraesentandi illas formaliter et expresse, CONC.; materialiter et identice, NEGO. — Non est major difficultas pro speciebus impressis, quam pro ipsis cognitionibus, in eo quod habeant vim repraesentandi indivisibiliter totam entitatem objecti, sed imperfecte et diversimode.

# CAPUT V

## DE ENTE NECESSARIO ET CONTINGENTI

**139. Divisio capitis.** — Quaestiones tractandae circa ens necessarium et contingens quatuor articulis explicabuntur: in 1.°, notiones circa illa entia tradentur; in 2.°, agetur de possibilitate entium contingentium; in 3.°, de essentiis ipsorum; in 4.° denique, de eorum existentia.

## ARTICULUS I

### DE NOTIONIBUS ENTIS NECESSARII ET CONTINGENTIS

**140. Declaratio conceptus entis necessarii et contingentis.** — I. Ens dividitur in NECESSARIUM et CONTINGENS. Est necessarium *illud quod non potest non esse;* contingens autem *illud quod potest esse vel non esse.*

II. Quamvis in genere loquendo aliquid possit esse necessarium ABSOLUTE vel HYPOTHETICE, jam intelligitur ex definitionibus traditis in hac entis divisione illud dici necessarium, quod existit *absoluta necessitate*, seu in qualibet hypothesi *possibili.*

III. Ens absolute necessarium definiri potest: *illud quod habet in se ultimam et sufficientem rationem suae existentiae;* ens autem contingens: *illud quod non habet in se ultimam et sufficientem rationem suae existentia;* hoc enim sequitur ex definitionibus praecedentibus.

**141.** THESIS 1.ª — **Ens contingens indiget causa ad existendum.**

PROB. — Existentiae entis contingentis debet dari ratio ultima et sufficiens; atqui, ut eruitur ex definitione, ens contingens non habet in se ipso hanc rationem; ergo illam habere debet in alio, a quo acceperit existentiam. Atqui ens communicans existentiam alteri est causa ipsius; ergo ens contingens indiget causa ad existendum.

**142.** THESIS 2.ª — **Existit aliquod ens absolute et intrinsece necessarium; hoc autem ens est unicum.**

1.ª PARS, PROBATUR. — Existunt plura entia (saltem *ego*, potest dicere unusquisque), quae evidentissime sunt contingentia; sed si quis contenderet illa omnia, vel aliqua, esse absolute et intrinsece necessaria, nobis concederet, sine probatione, assertum hujus 1.ªe partis.

Supponendo, igitur, omnia entia de quibus notitiam experimentalem habemus, esse contingentia, ita arguimus.

Quum ens contingens indigeat causa ad existendum, quaero an causa cujuslibet ex his entibus sit necessaria, vel contingens. Si primum, habemus intentum; in altero casu, ipsa aliam causam habere debuit, de qua iterum interrogabimus an sit necessaria vel fuerit contingens; et ita porro, donec perveniamus ad causam plus minus remotam, quae sit absolute et intrinsece necessaria.

Nec prodest ad effugiendam vim argumenti recurrere ad infinitam seriem causarum contingentium, ut quidam faciunt. — 1.° Quia in opinione graviorum philosophorum repugnat numerus infinitus, quamvis hoc non omnino clare demonstrari possit. — 2.° Quia clarius repugnat series successive pertransiens, quae initium non habuerit. — 3.° et principaliter. Quia si in uno ente contingenti non habetur ratio sufficiens pro existentia ipsius, hujusmodi sufficientia non apparet gradatim eo quod huic enti in consideratione nostra adjungamus ejus causam immediatam, aliam praecedentem et ita porro; sed insufficientia remanet absoluta, donec perveniatur ad causam, quae habeat in se rationem sufficientem suae existentiae, seu absolutam et intrinsecam necessitatem existendi. Ergo inferendum est, juxta sanam logicam, neque in catena infinita causarum successivarum dari rationem sufficientem existendi, nisi haec catena originem habeat in causa necessaria.

2.ª PARS, PROBATUR. — Conceptus *entis a se* non potest inveniri realiter multiplicatus in diversis individuis, sicut inveniri possunt conceptus logice indifferentes ad inferiorem gradum metaphysicum, v. gr., conceptus *hominis*, vel *animalis;* sed est prorsus immultiplicabilis, sicut conceptus alicujus individui determinati, nullam indifferentiam habens ad inferiorem gradum metaphysicum. Ergo *ens a se* est unicum.

PROB. ANTEC. — Nulla res potest esse *formaliter «existens» sub ratione logice indifferenti* ad inferiorem gradum metaphysicum, v. gr., sub ratione *entis ut sic*, vel *substantiae ut sic*. Atqui *ens a se*, praecise sub ratione talis, est *formaliter «existens»*; siquidem sub ea ratione *formaliter* est *«necessario existens»*. Ergo conceptus *entis a se* est ratio objectiva nullam indifferentiam habens ad inferiorem gradum metaphysicum, ac proinde est prorsus immultiplicabilis.

PROB. MAJ. — Nulla res existere potest, quae non sit omnino singularis, ac proinde carens omni indifferentia ad inferiorem gradum metaphysicum (v. n. 118). Ex hoc autem aperte sequitur nullam rem posse esse *formaliter «existentem» sub ratione logice indifferenti* ad inferiorem gradum metaphysicum; sicut ex eo quod nulla res *sensationes habere* possit nisi sit *animal*, aperte sequitur nullam rem posse *formaliter «sensationes habere» sub ratione logice indifferenti* ad gradum *animalis*, v. gr., sub ratione *viventis ut sic*.

**143. Corollaria.** — 1.^m ENS ABSOLUTE ET INTRINSECE NECESSARIUM EST CAUSA PRIMA CAETERORUM OMNIUM. Quum enim sit unicum, in ipso incipere debet quaelibet catena causarum. — 2.^m ENS ABSOLUTE ET INTRINSECE NECESSARIUM HABET OMNES PERFECTIONES POSSIBILES IN SUMMO GRADU POSSIBILI. Nam quaelibet perfectio vere possibilis, debet esse aliquid necessarium, vel aliquid contingens: in primo casu, debet dari de facto (per identitatem) in unico ente necessario; in altero casu, etiam debet dari in ipso (formaliter, aut eminenter) tamquam in prima causa, a qua effici potest (v. n. 56). — 3.^m ENS ABSOLUTE ET INTRINSECE NECESSARIUM EST PERSONALE. Etenim quum omnes perfectiones habeat, gaudere debet intellectu et libertate; ac proinde habet quidquid philosophi exigere possunt ad rationem personae. Porro dicimus illud esse *personale* et non *personam*, quia ex Fide scimus cum ipso (prorsus immultiplicato) identificari *tres Personas* (v. n. 24 et seq.).

**144. Notanda.** — 1.m Eo quod ens contingens indigeat causa ad existendum, vocatur *ens ab alio* et in oppositione ad illud, enti necessario datur nomen *entis a se*. Differentiae autem, quibus ens contrahitur ad necessarium et contingens, denominantur *aseitas* et *abalietas*. — 2.m Ens necessarium etiam vocatur *Deus* vel *Creator;* entia autem contingentia saepe *creaturae* nuncupantur.

## ARTICULUS II

### DE POSSIBILITATE ENTIUM CONTINGENTIUM

**145. Declaratio conceptus possibilitatis.** — I. In genere loquendo, POSSIBILE est *quod existere potest;* ac proinde POSSIBILITAS est *forma logica* (v. Dial., n. 13, II) *propter quam de aliquo ente affirmare licet; potest existere*. — IMPOSSIBILE autem dicitur *quod non potest existere;* et ab scholasticis designatur nomine *chimaerae*.

II. Ex se terminus *possibile* applicari valet entibus existentibus, atque ipsi enti necessario (cujus possibilitas est ipsa ejus necessitas); saepe tamen sensu magis stricto illis solis rebus contingentibus applicatur, quae de facto non existunt, et ad majorem claritatem vocantur *pure possibiles*.

**146. Diversae classes possibilitatis.** — Praeter possibilitatem modo declaratam, quae *omnino absoluta* vel METAPHYSICA est, dantur aliae duae magis restrictae, quae denominantur PHYSICA et MORALIS, et conveniunt rebus quae existere possunt vi causarum naturalium, vel produci valent sine difficultate juxta prudentem aestimationem non superanda (v. dicta in Crit. de certitudine, n. 27, III).

Facile intelligitur, in unoquoque ex his ordinibus posse dari possibilitatem *absolutam*, quae praescindit a circumstantiis particularibus, et simul impossibilitatem *hypotheticam*, quae particularem circumstantiam

supponit. Ita in ordine metaphysico habent possibilitatem absolutam et impossibilitatem hypotheticam creaturae, quas Deus decrevit non producere.

**147. De possibilitate metaphysica entium contingentium.** — Ex eo quod res contingentes possint dici possibiles, quin existant, exoritur hoc dubium, scilicet, quid sit possibilitas earum (v. Los., *Met.*, dp. 2, c. 1 — tm. 10, p. 109).

I. Ut patet, nulla dfficultas esse potest in eo quod omnipotentia Dei vocetur possibilitas rerum contingentium, quatenus sine illa hae non possent existere; et nullam aliam possibilitatem pro his rebus agnoscebant aliqui antiqui, quibus accenseri potest Descartes; dicit enim possibilitatem rerum pendere ex libera voluntate Dei, ac proinde nihil exigit in ipsis rebus, ut denominari valeant possibiles. Sed communiter admittitur praeter hanc possibilitatem, quae est *extrinseca* possibilibus (et dici potest *radicalis*, vel *activa)*, alia possibilitas ipsis *intrinseca (formalis* et *passiva)*. Haec autem reponi solet in absentia contradictionis inter praedicata, vel constitutiva, rei; vel, aliis verbis, in ipsa entitate rerum quatenus excludente contradictionem inter sua praedicata vel constitutiva.

II. Videtur clarum, hanc possibilitatem nihil physicum esse, sed tantum intentionaliter seu cognoscibiliter dari, quum res possibiles non existunt; attamen aliqui antiqui, ut verificativum assignarent propositionibus illam affirmantibus, tribuerunt rebus possibilibus non existentibus quamdam actualitatem, subtiliorem quidem actualitate existentiae, sed omnino necessariam et indefectibilem.

**148.** THESIS 1.ª — **Admitti debet possibilitas indistincta a re possibili, et consistens in cohaerentia omnium praedicatorum vel constitutivorum ipsius.**

PROB. 1.º — Nisi quis absurde neget principium contradictionis, fateri debet ea sola posse existere, vel denominari possibilia extrinsece per omnipotentiam Dei, quorum praedicata, vel constitutiva omnia, ita cohae-

reant inter se, ut nullam involvant contradictionem. Atqui hujusmodi cohaerentia praedicatorum (quae non distinguitur a re, ut patet) est veri nominis possibilitas. Ergo admitti debet possibilitas indistincta a re possibili, et consistens in cohaerentia omnium praedicatorum vel constitutivorum ipsius.

PROB. MIN. — Illa cohaerentia non solum sufficit ad discernendam rem possibilem ab omni impossibili, sed est vera ratio immediata hujus discriminis; ergo est veri nominis possibilitas.

PROB. 2.° — Si res tantum haberent possibilitatem extrinsecam, seu consistentem in divina virtute productiva, dicendum esset: vel res contradictorias esse etiam possibiles, vel earum impossibilitatem consistere in defectu divinae virtutis productivae. Jamvero utrumque horum absurdum est; primum enim pugnat cum principio contradictionis, alterum vero cum infinitudine Dei in omni perfectione.

E contra, neque negatur principium contradictionis, nec ullus defectus ponitur in divina virtute productiva, si dicitur eam posse facere quidquid tale est ut fieri possit, sed non illud quod propter suam contradictionem fieri nequit.

**149.** THESIS 2.ª — **Possibilitas formalis rei non existentis caret omni actualitate physica.**

PROB. 1.° — Quia nulla est ratio tribuendi actualitatem rebus non existentibus.

PROB. 2.° — Si res non existentes haberent aliquam actualitatem, eam haberent vel a se, vel a Deo; atqui neutrum dici potest; ergo res non existentes carent omni actualitate.

PROB. MIN. — Res non existentes nequeunt habere actualitatem a se; quia supposita illa actualitate a se, nec Deus creasset mundum ex nihilo, nec posset rem ullam redigere in nihilum; atque insuper quia ens a se est unicum (v. n. 142). — Nec possunt illam actualitatem habere a Deo; quia Deus nihil extra se produxit nisi libere (et iuxta fidem, in tempore), quo posito ruunt

argumenta adversariorum, quae si essent valida probarent illam actualitatem esse necessariam (ac proinde aeternam).

**150. De ultimo fundamento possibilitatis metaphysicae.** — I. Ex auctoribus, qui admittunt possibilitatem rebus contingentibus intrinsecam, aliqui, ut Genuensis et Storkenau, asserunt ipsam ita esse independentem a Deo, ut in hypothesi (absurdissima) quod Ipse deficeret, res contingentes amitterent quidem possibilitatem extrinsecam, minime vero intrinsecam. Communiter tamen defenditur Deum esse fundamentum omnino necessarium cujusvis possibilitatis intrinsecae, ac proinde hanc nulli rei convenire posse non existente Deo.

II. Hae duae sententiae facile in concordiam redigi posse censemus. Prima enim tantum contendere videtur, quod si duo praedicata (v. gr., *animal* et *rationale*, quibus definitur *homo*) nunc non pugnant inter se, neque pugnarent in illa absurdissima hypothesi. Secunda vero non asserit illa ipsa praedicata in tali hypothesi evadere inter se pugnantia, sed in unoquoque haberi contradictionem ex ipso conceptu rei contingentis.

**151.** THESIS 3.ª — **Deus est ultimum fundamentum possibilitatis intrinsecae rerum contingentium.**

PROBATUR. — Sublato Deo, ipse conceptus rei contingentis esset contradictorius; ergo Deus est ultimum fundamentum possibilitatis intrinsecae omnium contingentium.

PROB. ANTEC. — De conceptu rei contingentis est originem ducere posse a prima causa necessaria, vel a Deo (v. nn. 141, 142); ergo in hypothesi quod haec causa, vel Deus, non existeret, ac proinde esset impossibilis, de conceptu rei contingentis esset *posse originem ducere a causa impossibili*, quod implicat in terminis.

**152. Notanda.** — 1.ᵐ Ex dictis patet, tantum posse affirmari deficiente Deo possibilitatem intrinsecam rerum contingentium manere, si adhuc fingitur Deum

esse possibilem. — 2.m Haec thesis non evertit 2.m probationem theseos 1.ae, quia ibi, supposita non repugnantia conceptus rei contingentis, statuitur Deum posse facere quidquid ex alio capite non repugnet. Neque hic dicitur fundamentum possibilitatem rerum contingentium esse praecise omnipotentiam, sed Deum vel essentiam divinam totaliter sumptam.

## OBJECTIONES

**153. Objectio 1.a** — Ipsi philosophi saepe asserunt possibilitatem formalem rerum esse necessariam, indefectibilem et aeternam; ergo semper habet aliquam actualitatem physicam.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: dicunt esse necessariam, etc. in ordine physico, NEGO; in ordine logico, quatenus semper cum veritate dici potest, v. gr., *leo est possibilis*, CONC. — Vox *est* sensu rigoroso accepta, exigit vel supponit in subjecto actualitatem physicam, et ita, v. gr., quum quis audit *Petrus est altus*, intelligit Petrum *existentem* habere bonam staturam. Sed quum praedicatum eruitur ex ipsa notione subjecti, passim usurpatur illa vox sensu quodam magis lato, ideali seu hypothetico; atque ita semper et vere dici potest, v. gr., *bos est ruminans*, quamvis nullus bos existat, et quin sit necesse tribuere bobus non existentibus ullam actualitatem; atque hoc modo possibilitas convenit rebus nullam contradictionem in se habentibus.

**154. Objectio 2.a** — Non existente Petro, non datur physice ejus impossibilitas; ergo datur physice ejus possibilitas, nam quo sensu non datur unum contradictorium, datur alterum.

RESPONSIO. — CONC. ANTEC.; NEGO CONSQM.; et DIST. PROBAT.: si in illo sensu extrema sunt absolute contradictoria, CONC.; si tantum sunt hypothetice contradictoria, et hypothesis non datur, NEGO. — In sensu physico

*contradictio in notis Petri* et *exclusio contradictionis in notis Petri*, non sunt extrema contradictoria nisi supponatur Petrum dari physice.

**155. Objectio 3.ª** — Chimaera non habet impossibilitatem intrinsecam; ergo similiter res possibiles non habent possibilitatem intrinsecam. — Antecedens constat: quia impossibilitas intrinseca chimaerae esset impossibilis; atqui impossibilitas chimaerae est necessaria; ergo chimaera non habet impossibilitatem intrinsecam.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.; non habet illam realiter, CONC.; intentionaliter, seu cognoscibiliter, NEGO. — Etiam DIST. CONSQS.: non habent illam intentionaliter, seu cognoscibiliter, NEGO; realiter, SUBDIST.: dum res possibilis non existit, CONC.; dum existit, NEGO. — Ad probat. DIST. MAJ.: esset impossibilis quoad existentiam physicam, CONC.; quoad existentiam intentionalem, NEGO. — Etiam DIST. MIN.: necessaria quoad existentiam physicam, NEGO; quoad existentiam intentionalem pro casu quo concipiatur essentia chimaerae, CONC.

## ARTICULUS III

### DE ESSENTIIS ENTIUM CONTINGENTIUM

**156. Declaratio conceptus essentiae.** — I. ESSENTIA, vel QUIDDITAS, definiri potest: *forma logica* (v. Dial., n. 13, II) *qua ens aliquod proprie et immediate in specie determinata constituitur;* etenim, quum quaeritur quid sit aliquod ens, vel quaenam ejus essentia, respondetur exprimendo ad quam speciem infimam (v. Dial., nn. 21, 22) illud ens pertineat. Ut patet, essentia cujusvis rei nihil aliud esse potest, quam ipsa ejus entitas (seclusis omnibus accidentibus physicis, quae in illa habeantur), quatenus est ratio suam speciem determinans. Ita, v. gr., essentia Petri est ejus *humanitas* (consistens in tota et sola entitate substantia-

li Petri), qua ille constituitur *homo*. Atque ideo essentia aliquando exprimitur non ut forma logica abstracta, sed ut concretum specificum (v. gr., non sub conceptu *humanitas*, sed sub conceptu *homo*).

II. Essentia considerari potest *physice* aut *metaphysice*, id est, inquirendo quibus entitatibus realiter distinctis constituatur, vel quibus praedicatis definiri debeat. Ita, essentia *hominis* physice constituitur *corpore organico* et *anima rationali;* metaphysice autem complexu praedicatorum *animal* et *rationale*. Porro partes physicae, quae in essentia dentur, possunt esse *essentiales* vel *integrales* (v. Dial., n. 33).

**157. De cognitione essentiarum.** — I. Locke, fundator scholae, quae sensista vel sensualista nominatur, asserit nos posse cognoscere entium apparentias, seu phaenomena, sed non eorum essentiam; ita ut duo entia, judicio nostro diversa, possint habere essentiam eamdem. Similiter loquuntur positivistae, ut Compte; illi, qui post Huxley *agnostici* vocantur; atque etiam relativistae.

II. Nos, e contra, asserimus intellectum humanum posse cognoscere esentias rerum. Attamen notandum est: 1.°, nos non cognoscere illas intuitione, sed ratiocinio; 2.°, ac proinde non habere cognitionem perfectam, sed imperfectam (non tamen falsam); 3.°, nec cognoscere omnes essentias, siquidem multae non satis manifestantur suis phaenomenis vel effectibus.

**158.** THESIS 1.ª — **Intellectus humanus potest cognoscere essentias rerum.**

PROB. 1.° — Entia producunt diversa phaenomena, vel diversos effectus, qui a nobis experientia interna et externa cognoscuntur (ut ipsi adversarii fatentur); atqui operationes entis sunt conformes et proportionatae ipsius naturae vel essentiae (v. n. 51, II); ergo ex his operationibus possumus ratiocinio assurgere ad cognitionem essentiae vel naturae entis.

PROB. 2.° — Adversarii concedunt nos observatione atque experientia posse detegere plures leges natura-

les; ergo etiam concedere debent nos posse cognoscere proprietates essentiales entium, etenim hae leges supponunt in entibus proprietates quibus reddantur capacia semper operandi juxta illas leges.

**159. Proprietates essentiarum.** — Postquam declaraverimus conceptum essentiae, atque probaverimus ipsas ab intellectu humano cognosci posse, utile censemus earum praecipuas proprietates exponere.

**160.** THESIS 2.ª — **Essentiae creaturarum in statu ideali sunt necessariae immutabiles et aeternae.**

PROB. — Circa essentias creaturarum idealiter consideratas fieri possunt propositiones scientificae, quae semper sunt verae, v. gr., *planta est vivens pure vegetativum;* ac proinde ita consideratae et in ordine ad verificanda judicia scientifica sunt necessariae, immutabiles et aeternae. — Ratio cur hujusmodi propositiones semper sunt verae est quia non asserunt suum objectum de facto dari, sed habent sensum hypotheticum, v. gr., *planta, casu quo existat, est vivens pure vegetativum.*

**161.** THESIS 3.ª — **Essentiae rerum consistunt in indivisibili.**

PROB. — Essentiae rerum consistunt in indivisibili, si ipsae non accipiunt in suo conceptu *magis* et *minus*. Atqui re vera non accipiunt *magis* et *minus*, siquidem nemo dicit aliquam arborem esse, v. gr., *magis* vel *minus ficulneam*, sed ficulneam majorum vel minorum dimensionum; et si quando dicitur, v. gr., aliquem esse magis vel minus *hominem*, sensus est illum esse magis vel minus *gravem*, etc. Ergo essentiae rerum consistunt in indivisibili.

Ideo dicit Sanctus Thomas essentias rerum esse sicut numeros determinatos, qui neque admittunt *magis* aut *minus*, sed si ipsis adimitur vel additur aliqua unitas, evadunt alii numeri.

**162.** THESIS 4.ª — **Essentiae creaturarum sunt in statu reali contingentes et mutabiles.**

PROB. — Essentiae creaturarum possunt esse vel ac-

tuales vel pure possibiles; et, quum actu dantur, sunt potentiales, ac proinde mutabiles. Ergo sunt contingentes et mutabiles.

Sed probe notandum est eas esse contingentes *absolute*, et mutabiles *relative;* nam *hypothetice* sunt necessariae, et in suo conceptu immutabiles, ut patet ex dictis.

## ARTICULUS IV

### DE EXISTENTIA ENTIUM CONTINGENTIUM

**163. Declaratio conceptus existentiae.** — I. EXISTENS dicitur *illud quod de facto datur in rerum natura;* EXISTENTIA autem definitur *forma logica* (v. Dial., n. 13, II) *intrinseca, propter quam de aliquo ente proprie et immediate affirmari potest: de facto datur in rerum natura.* Ita, existentia Petri, v. gr., est aliquid, quod in ipso Petro habetur, atque est ratio propria et immediata propter quam dici potest: *Petrus nunc de facto datur in rerum natura;* actus autem, quo Deus vult creare Petrum, vel ipsa productio ejus, non sunt existentia Petri; quia quamvis sint aliquo modo ratio propter quam ille existit, non sunt ratio omnino propria et immediata.

II. Ex dictis hoc patet, quod terminus *existentia* in rigore acceptus exigit dari de facto entitatem illam, quae tali nomine designatur; saepe tamen accipitur sensu latiori, seu ut significans entitatem, quae *esset* existentia, si *daretur*. Existentiae, ita consideratae, sunt necessariae et aeternae in ordine ideali seu logico, ut facile apparet.

III. Existentia passim denominatur *esse;* attamen hac voce apud antiquos scholasticos non sola existentia designatur, sed quaelibet forma logica praedicati intrinseci et subjecto hic et nunc convenientis in sensu reali. Ita, v. gr., *actualis humanitas*, et similiter *albedo*, quibus in sensu reali Petrus *est* homo, et *est* albus,

sunt *esse* ipsius. Hinc autem facillime statui potest sequens thesis.

**164.** THESIS 1.ª — **Omnis hypostasis creata realiter distinguitur a suo esse totali.**

PROBATUR. — In creaturis omnis hypostasis (ab antiquis scholasticis antonomastice designata per *quod est)* habet aliqua accidentia, quae sunt *esse* ipsius; ac proinde, quidquid sit de ejus distinctione a suo *esse* substantiali (sive ab existentia sua), semper distinguitur ab aliquo *esse* accidentali.

**165. De distinctione inter essentiam contingentem et actualem existentiam.** — I. Si quis perpendit notiones traditas essentiae et existentiae, facile advertet existentiam actualem in solo Deo esse praedicatum *essentiale;* siquidem essentia divina, secus ac essentia creaturarum, nequit concipi aut definiri nisi ut actu existens. Sed hoc extra dubium posito, acerrime disputatur, etiam nostris diebus, utrum in singulis rebus contingentibus essentia et existentia sint duae entitates (prorsus tamen et intime conjunctae), an potius una eademque (sive sit simplex, sive non). Primum defenditur in schola dominicana (v. Del Prado, *De verit. fund. relig. christ.*, Friburgi Helvet., 1911) (1); alterum propugnatur in schola franciscana et a majori parte auctorum Societatis Jesu (v. Los., *Met.*, dp. 2, c. 4 — tm. 10, p. 144).

II. Distinctio entitativa inter essentiam et existentiam non videtur admittenda, nisi clare probetur. Nam, ut ejus patroni fatentur, in qualibet creatura existente (v. gr. in Petro) essentia identificat secum quamdam entitatem, quae non datur in rerum natura, sed physice est *nihil*, quum res est mere possibilis. Hoc autem posito, videtur esse contra sensum verborum: vel negare essentiam rei existentis magis proprie et immediate discerni a *nihilo* (aut a se ipsa ut mere possibili) et esse *actu* aliquid, ratione suae propriae entitatis,

(1) Hi auctores dicere solent materiam non habere existentiam propriam, sed communem cum forma.

quam ratione cujusvis alterius sibi conjunctae; vel nomen existentiae denegare entitati, ratione cujus magis proprie et immediate habetur discrimen a nihilo et a mera possibilitate.

III. Ex auctoribus negantibus entitativam distinctionem inter essentiam et existentiam, plures rejiciunt quoque distinctionem rationis ratiocinatae, eo quod, ut videtur, essentiam et existentiam non accipiant sicut nos, scilicet essentiam eo modo quo cognoscitur sub ratione specifica, existentia autem eo modo quo rigorose accepta definitur (v. n. 163, II).

**166.** THESIS 2.ª — **In creaturis essentia et actualis existentia distinguuntur quidem logice ut potentia et actus; sed earum distinctio entitativa non videtur demonstrari.**

1.ª PARS, PROBATUR. — Conceptus exprimens essentiam alicujus creaturae (v. gr., *humanitatem*, vel *albedinem*), illam exhibet praecise ut *potentem* de facto existere vel non existere; ergo saltem logice, seu in sensu formali loquendo, essentia cujuslibet creaturae se habet ut potentia passiva respectu actualis existentiae, modo aliquatenus simili ac rationes genericae se habent respectu suarum differentiarum (v. gr., *animal* respectu *rationalitatis*, quae potest illi convenire, vel non convenire).

2.ª PARS posset relinqui probanda solutione difficultatum, sed jam nunc declaratur. — Adversarii potissime contendunt hanc distinctionem requiri propter haec duo, scilicet, ut essentia sit contingens, et ut existentia (saltem primi subjecti substantialis) non sit perfectio seu actualitas *irrecepta*, et consequenter omnino infinita. Sed ad neutrum demonstratur requiri entitativam distinctionem essentiae et existentiae.

I. NON REQUIRITUR AD CONTINGENTIAM ESSENTIAE. — Ad hanc requiritur certe aliqua indifferentia respectu existentiae actualis, sicut requiritur (etiam in sententia adversariorum, negantium essentias habere entitates aeternas) respectu entitatis, vel actualitatis, ab essentia

existente indistinctae. Sed hujusmodi indifferentia (pure logica et objectiva) ad habendam vel non habendam de facto actualitatem sibi identificatam, sufficit ut essentia sit contingens, quamvis illi actualitati non negetur nomen existentiae (1).

II. NON REQUIRITUR AD LIMITANDAM EXISTENTIAM. — Quia ad hoc ut illa entitas, quae sit existentia, habeat limitatam perfectionem, sufficit rationem abstractissimam perfectionis (vel actualitatis, aut existentiae) in ipsa inveniri *logice* conjuncta alicui rationi contrahenti (scilicet, alicui rationi specificae, v. gr., rationi *hominis*). Immo, rejicienda est limitatio perfectionis, seu actus, per receptionem physicam in aliqua potentia entitative distincta; etenim videtur omnino absurdum admittere ex una parte entitates omni prorsus perfectione physica carentes, et ex alia perfectiones ita elasticas, ut eamdem entitatem retinentes, possint evadere infinitae, si in nullo subjecto distincto recipiantur, et si in aliquo recipiuntur, evadant finitae et capacitati hujus coaptatae.

**167. Notandum.** — Existentia recte vocatur in ordine logico *actus ultimus* omnium rerum contingentium, eo quod ex una parte, juxta nostrum modum concipiendi, rebus adveniat post omnes rationes differentiales suorum graduum metaphysicorum (quae etiam se habent quodammodo ut actus respectu graduum quos contrahunt), et ex alia parte accidentia rebus superaddita non praedicentur de existentia *ut tali*. Sic, modo nostro concipiendi, ad habendum *hominem existentem* addi debent successive rationi *entis: perseitas*, *corporeitas*, *vita*, *animalitas*, *rationalitas*, *haecceitas* et demum *existentia;* si autem superadditur albedo, dicitur quidem hominem esse album, minime vero eum habe-

(1) Indifferentia rei contingentis respectu suae propriae entitatis vocatur *objectiva*, quia illa res eodem modo *objicitur* cognitioni scientificae, sive ejus entitas detur, sive non detur. Indifferentia, qua res actualis potest habere vel non habere aliam sibi superadditam, dicitur *subjectiva*.

re existentiam albam. Sed nullus actus physicus haberi potest pro priori ad existentiam; ac proinde haec non potest dici in ordine physico actus ultimus, sed potius actus primus.

**168. De mente Sancti Thomae.** — I. Quum esset nimis longum critice ostendere entitativam distinctionem inter essentiam creatam suumque *esse* substantiale non posse Sancti Thomae auctoritate probari (1); argumenta, quibus ipse demonstrat (C. G., l. 2, c. 52) in creaturis essentiam et existentiam distingui, breviter subjiciemus, intra [ ] declarando sensum, quo ejus verba facillime accipi possunt. Ad hoc autem melius capiendum, dicere oportet Sanctum Thomam in praecedentibus probasse nihil esse in Deo [sive physice, sive logice] praeter ejus essentiam (l. 1, c. 21), et hanc nihil esse [sive physice, sive logice] praeter suum *esse;* unde sequitur Deum esse suum *esse* [exclusive, tam in sensu physico, quam in sensu logico].

1.m «Si *esse* est subsistens [seu carens subjecto, non tantum sensu physico, verum etiam sensu *logico et formali*], nihil praeter ipsum *esse* ei adjungitur; quia etiam in his, quorum *esse* non est subsistens [saltem *logice*], quod inest existenti praeter *esse* ejus, est quidem existenti unitum [v. gr., homini, non praecise humanitati], non autem est unum [seu unitum] cum *esse* ejus [saltem formaliter] nisi per accidens, in quantum est unum subjectum habens *esse* [saltem *logice* ab ipso distinctum] et id, quod est praeter *esse*... Si igitur non sit *esse* in aliqua substantia [saltem *logice* ab ipso distincta], non remanebit aliquis modus, in quo possit ei uniri illud, quod est praeter *esse*. *Esse* autem, in quantum *esse*, non potest esse diversum; potest autem diversificari per aliquid quod est [saltem *logice*] praeter *esse*, sicut *esse* lapidis est aliud ab *esse* hominis. Illud igitur quod est subsistens [physice et

(1) V. Piccirelli, *Disquisitio metaph., theol., crit. de distinctione actuatam inter essentiam existentiamque.* Neapoli, 1906.

*logice*], non potest esse nisi unum tantum. Ostensum est autem quod Deus est suum *esse* subsistens [physice et *logice*]. Nihil igitur praeter ipsum potest esse suum *esse* [formaliter et exclusive]. Oportet igitur in omni substantia, quae est praeter ipsum, esse aliud ipsam substantiam, et aliud *esse* ejus [alietate saltem *logica*].»

2.m «Natura communis, si separata [physice et *logice*] intelligatur, non potest esse nisi una... Sic igitur, si hoc ipsum, quod est *esse*, sit commune sicut genus, *esse* separatum per se subsistens [physice et *logice*] non potest esse nisi unum; si vero non dividatur differentiis, sicut genus, sed per hoc quod est hujus vel illius *esse* [saltem *logice* ab illo distinctum], jam hoc magis est verum, quod non potest esse per se existens [physice et *logice* separatum] nisi unum.»

3.m Impossibile est quod sit duplex *esse* omnino infinitum... Esse autem subsistens [seu carens subjecto, physice et *logice*] oportet esse infinitum, quia non terminatur aliquo recipiente [saltem *logice* distincto]. Impossibile est igitur esse aliquod *esse* per se subsistens [seu carens subjecto, physice et *logice*] praeter primum.»

4.m «Si sit aliquod esse per se subsistens [seu carens subjecto, physice et *logice*], nihil competit ei, nisi quod est entis, in quantum est ens. Quod enim dicitur de aliquo, non in quantum hujusmodi, non convenit ei nisi per accidens ratione subjecti [saltem *logice* ab illo distincti]; unde si separatim [physice et *logice*] a subjecto ponatur, nullo modo ei competit. Esse autem ab alio non competit enti, in quantum est ens; alias omne ens esset ab alio causatum... Istud igitur *esse*, quod est ens subsistens [seu carens subjecto, physice et *logice*] oportet quod sit non causatum.»

5.m Substantia uniuscujusque [formaliter considerata] est ens [seu aliquid *aptum* existere] per se et non per aliud [nam ex solo suo conceptu et independenter a qualibet alia re «*substantia est ens*»]... Sed cujuslibet

rei creatae suum *esse* est ei per aliud [scilicet, per causam efficientem; non enim ex solo suo conceptu «substantia est existens»], alias non esset creatum. Nullius igitur substantia creatae suum *esse* est sua substantia [saltem formaliter loquendo].

6.m «Quum omne agens agat in quantum est actu, primo agenti, quod est perfectissimum, competit esse in actu perfectissimo modo... ut scilicet sit [etiam formaliter] ipse actus perfectissimus. Hoc autem est *esse*... Soli igitur Deo competit quod sit ipsum *esse* [etiam formaliter seu *logice*].»

7.m «Ipsum *esse* competit omnibus aliis a primo agente per participationem quamdam. Quod autem competit alicui per participationem non est substantia ejus [saltem formaliter]. Impossibile est igitur quod substantia alterius entis, praeter agens primum, sit ipsum *esse* [saltem formaliter].»

II. Ex dictis aperte sequi videtur Sanctum Thomam non sibi proposuisse excludere aut probare entitativam distinctionem inter essentiam contingentem et existentiam, sed unice et magno conatu evincere voluisse in rebus finitis et contingentibus essentiam (vel potius hypostasim, sub conceptu specifico seu abstractivo, ut in scientiis fieri solet, consideratam) et existentiam actualem, non posse formaliter identificari, sed ad invicem sese habere, saltem logice, ut potentiam et actus.

**169. Dices.** — Sanctus Thomas, ex distinctione quam statuit inter essentiam creatam et suum esse, infert omnem creaturam, secus ac Deum, habere in sua entitate substantiali compositionem ex actu et potentia; ergo intelligit illam distinctionem esse entitativam.

RESPONSIO. — NEGO CONSQM. — Etiam excludit Sanctus Thomas a Deo genus et differentiam (I, p. q. 3, a. 5) ne habeat compositionem ex actu et potentia, quamvis genus et differentia non distinguantur entitative.

**Instabis.** — Sanctus Thomas ter aut quater (In Boetium, *De hebdom.*, l. 2; I, dist. 19, q. 2, a. 2; *De Ve-*

*rit.*, q. 27, a. 1, ad 8) expresse dicit *esse* et *quod est* differre *realiter*, aut *re*, aut facere compositionem *realem*.

RESPONSIO. — *Esse* non solam existentiam subjecti substantialis, qua hoc simpliciter *est*, significare potest; verum etiam quodlibet accidens (v. gr., albedinem), quo illud subjectum est aliquid amplius (v. gr., est album). Hoc patet his verbis Sancti Thomae (De Ente, c. 7): «Accidens superveniens, ex conjunctione sui cum eo cui supervenit, non causat illud esse in quo res subsistit, per quod res est ens per se, sed causat *quoddam esse secundum*, sine quo res subsistens intelligi potest esse». Hinc autem sequitur, verissime dici posse in substantiis creatis realiter differre *quod est* et *totum esse* ejus (v. Piccirell, o. c., pp. 183, 198, 206).

**Instabis.** — Juxta Sanctum Thomam corpus trahitur ad participandum esse animae humanae (*De Ente*, c. 5, ad fin) et ipsum esse animae fit esse compositi (*Quodl.* 10, q. 3, a. 6, ad 3).

RESPONSIO.—Quo sensu possit hoc intelligi, ipse Sanctus Thomas declarat his verbis (3, q. 2, a. 6, ad 2): «Illud quod advenit post *esse* completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius *esse* completi: sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem *esse* assumetur, *ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam*» v. Piccirelli, o. c., p. 237).

## OBJECTIONES

**170. Objectio 1.ª** — Existentia est ex se perfectio prorsus indeterminata; ergo, nisi reciperetur in alio eam determinante vel limitante, esset infinita.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: si existentia sumitur in sua abstractissima ratione, et indeterminatio sumitur praecisive, CONC.: si existentia sumitur prout habetur a parte rei, vel indeterminatio sumitur positive aut ex-

clusive, SUBDIST.: si existentia supponitur distingui ab essentiis, TRANS.; secus, NEGO (donec probetur hoc assertum, vel distinctio disputata).—Nunc DIST. CONSQS.: nisi ratio abstractissima existentiae reciperetur *logice* in alio ratione distincto, CONC.; nisi existentia singulariter accepta reciperetur in alio physice distincto, NEGO (donec probetur). — Etiam *ens* est ex se prorsus indeterminatum, et nihilominus potest determinari sola receptione logica in aliis praedicatis tantum ratione distinctis.

**Instabis.** — Atqui existentia nullas admitit differentias quibus tantum logice determinetur, siquidem advenit rebus habentibus jam omnia praedicata differentialia; ergo debet limitari receptione physica in subjecto entitative distincto.

RESPONSIO. — TRANS. ANTEC. — NEGO CONSQM. — Determinatio pure logica non tantum haberi potest per differentias logice superadditas instar actus, verum etiam per subjecta logice praesupposita instar potentiae. Ita non minus determinari potest logice *animal* per *rationale*, quam *rationale* per *animal*.

**171. Objectio 2.ª** — Essentia entitative indistincta ab existentia, non potest esse contingens; ergo omnes essentiae contingentes distinguuntur entitative a suis existentiis.—Antecedens constat: 1.°, quia secus etiam Deus posset esse contingens; 2.°, quia existentia, sicut alia praedicata essentialia, semper illi essentiae conveniret; 3.°, quia talis essentia non esset in potentia ad existendum.

RESPONSIO. — NEGO ANTEC. — AD 1.ᵐ PROBAT., RESPONDEO similiter dici posset quod si aliquis spiritus esset contingens, etiam Deus posset esse contingens. — AD 2.ᵐ, NEGO SUPPOSITUM (scilicet, existentiam ut absolute affirmabilem de praesenti, esse praedicatum essentiale, eo solo quod cum essentia actuali entitative identificetur); et quaero cur non conveniat semper essentiae illa actualitas, quam secum identificat, dum existit. — AD 3.ᵐ, DIST. ASSERT.: non esset in potentia

physica et subjectiva, CONC.; logica et objectiva, NEGO.

**172. Objectio 3.ª** — Substantia identificata cum sua existentia non posset habere accidentia; ergo omnes substantiae contingentes et finitae, siquidem habent accidentia, distinguuntur a suis existentis. — Antecedens constat, quia existentia non potest suscipere accidentia, quoniam est ultima actualitas rerum.

RESPONSIO. — NEGO ANTEC. — Ad probat. DIST. ANTEC.: non potest suscipere formaliter, TRANS.; ne identice quidem, SUBDIST.: si supponitur distingui ab essentia, TRANS.; secus, NEGO.—Rationem additam DIST.: est ultima actualitas in ordine logico, CONC.; in ordine physico, NEGO (v. n. 167).

**173. Objectio 4.ª** — Si materia identificaretur cum sua existentia esset *existens in se*, vel *subsistens;* ergo esset hypostasis, ac proinde non posset accipere ullam formam substantialem.

RESPONSIO. — DIST. ANTEC.: si esse *existens in se*, vel *subsistens*, non excludit *existere* (etiam sola aptitudine naturali, vel de facto) *ut partem in toto*, CONC.; si hoc excludit, NEGO. — Et sub hac distinctione NEGO CONSQM., juxta illa, quae in n. 24 diximus (1).

# CAPUT VI

## DE STRICTA UNITATE ET TRANSCENDENTIA FORMALI CONCEPTUS ENTIS

**174. Status quaestionis.** — I. Saepe dicitur sive Deum, sive creaturam, sive substantiam, sive accidens, atque etiam aseitatem, abalietatem et alias rationes dif-

(1) Aliqui theologi hoc ipso arguendi modo probare contendunt Humanitatem Christi Domini, quae juxta Fidem non est hypostasis, non posse habere existentiam propriam, sed communem cum Verbo divino; et consequenter eruere distinctionem entitativam inter essentiam et existentiam creaturarum.

ferentiales esse *ens;* disputatur tamen utrum huic termino orali respondeat, vel non, in omnibus illis casibus ratio objectiva prorsus eadem seu stricte una, et utrum ratio objectiva entis de suis rationibus differentialibus praedicetur pure identice, vel etiam formaliter tamquam in ipsis imbita, seu ipsas formaliter transcendens.

II. Propter difficultatem admittendi rationes differentiales, quae a ratione, cujus differentiae sunt, non praescindant; aliqui auctores *enti* agnoscunt strictam unitatem, sed negant illud suos conceptus differentiales transcendere; alii, e contra, admittunt hanc transcendentiam, sed illam strictam unitatem rejiciunt. Plures tamen, quibus nos assentimur, et strictam unitatem et formalem transcendentiam *entis* propugnant.

III. Probe tamen notandum est, eumdem omnino conceptum *entis* Deo et creaturis applicari non posse, nisi *aptitudo ad existendum*, per quam *ens* definitur, ita accipiatur ut non exigat, quamvis neque excludat, contingentiam, seu distinctionem (sive physicam, sive pure logicam) inter subjectum *potens existere* et actum existendi.

**175.** THESIS 1.ª — **Datur ratio abstractissima entis, quae est vere una.**

PROBATUR. — Sicut experientia constat nos habere alios conceptus universales (v. gr., *animal* aut *albedo)*, qui *iidem* omnino immutati conveniunt diversis inferioribus (v. gr., *homini*, *equo*, *etc.*, vel diversis gradibus *albedinis);* similiter constare videtur nos posse efformare illam rationem abstractissimam *entis*, supra definitam, atque *eamdem* omnino immutatam convenire sive Deo, sive creaturae, sive substantiae, sive accidenti. Ergo agnoscendum est dari rationem abstractissimam *entis*, quae sit vere una.

CONFIRMATUR. — Quidquid convenit substantiae, vel Deo, *in quantum est ens* (videlicet, posse realiter existere, distingui a puro nihilo, etc.), convenit etiam accidenti, vel creaturae. Ergo una eademque ratio abs-

tractissima *entis* convenit substantiae et accidenti, Deo et creaturae.

Nec valet respondere rationes *entis* esse re vera plures, sed videri unam, quia omnes conveniunt quoad explicitum, et tantum differunt quoad implicitum. Nam necessario dari implicitam aliquam differentiam in ratione entis, neque probatur experientia, neque a priori, ut patebit solutione difficultatum (v. Los., *Met.*, dp. 1, c. 1 — tm. 10, p. 9).

**176.** THESIS 2.ª — **Ratio abstractissima entis transcendit formaliter suas differentias.**

PROBATUR. — Rationes genericae transcendunt formaliter rationes suarum specierum (v. gr., ratio *viventis* rationem *hominis)*, et similiter ipsa ratio *entis* omnes rationes genericas et specificas, quia illae in his, formaliter acceptis, detegi possunt. Atqui in rationibus differentialibus *entis*, formaliter acceptis, ipsa ratio *entis* detegi potest. Ergo ratio abstractissima *entis* transcendit formaliter suas differentias.

PROB. MIN. — I. Aseitas, v. gr., quae est differentia discernens Deum a creatura definitur per necessitatem existendi; atqui necessitas existendi est *ens;* ergo *ens* transcendit formaliter hanc differentiam. — Ultima minor probatur sic.

Aptitudo existendi, quae convenit *enti* ut sic, juxta omnes est *ens;* atqui necessitas existendi importat formaliter aptitudinem existendi, siquidem excludit contingentiam, et multo magis impotentiam existendi; ergo necessitas existendi est *ens*.

II. Perseitas, quae est differentia substantiae, est formaliter perfectio; atqui perfectio est formaliter aliquid bonum, et bonum formalissime est ens; ergo perseitas est formaliter ens. — Ultima major probatur sic.

Propter *solam* perseitatem ut talem *substantia* in genere est formaliter *perfectior* accidenti, atque etiam *ente* ut sic, siquidem substantia in genere tantum addit *enti* perseitatem; ergo perseitas est formaliter perfectio.

Similiter probari posset thesis quoad alias differentias, sed haec sufficiunt, quia argumenta adversariorum etiam valere deberent pro differentiis de quibus egimus (v. Los., l. c., c. 4 — tm. 10, p. 53).

**177. Notanda circa analogiam et univocitatem entis.** — I. Juxta usitatum modum loquendi, dari potest aliqua analogia in terminis logice univocis: hi enim dicuntur *physice* analogi, si sunt generici, ac proinde conveniunt rebus specifice diversis (sicut terminus *animal* convenit hominibus, canibus, etc.); et *metaphysice* analogi, si non modo conveniunt rebus specifice diversis, sed ipsis suis differentiis formaliter acceptis, ut ratio entis ejusque attributorum. Hinc autem sequitur omnimodam univocitatem (excludentem scilicet analogiam logicam, physicam et metaphysicam) in solis terminis inveniri, qui aliquam speciem infimam significant (v. gr., in termino *homo*).

II. Analogia entis vocari potest *attributionis*, sed *intrinsecae;* quia ex una parte creatura dicit relationem ad Deum et accidens ad substantiam, sed ex alia parte forma logica praedicati *ens* omnibus analogatis intrinseca est. Etiam permitti potest ut vocetur *proportionalitatis;* eo quod ita se habeat Deus vel substantia ad *esse* suum, sicut creatura vel accidens ad suum.

III. Utrum, supposita in ente analogia metaphysica et univocitate logica, illud dici debeat *simpliciter* univocum vel analogum, est quaestio de puro modo loquendi (v. Los., l. c., c. 3 — tm. 10, p. 29).

## OBECTIONES

**178. Contra 1.^m thesim. — Objectio 1.^a** — Posita transcendentia entis, differentiae ejus nequeunt ratione separari ab ente; atqui si daretur conceptus entis vere unus, ens separaretur ratione ab illis; ergo non potest dari conceptus entis vere unus.

Responsio. — Dist. maj.: nequeunt separari per

conceptus ipsarum, CONC.; per conceptum entis, NEGO. — CONTRADIST. MIN. et NEGO CONSQTM. — *Homo* et *equus* nequeunt ratione separari ab *animali*, et tamen *animal* ratione separatur ab *homine* et ab *equo*.

**179. Objectio 2.ª** — Animal potest ratione separari, v. gr., ab homine, quia hoc includit rationalitatem, quae non est formaliter animal; atqui in differentiis entis nihil habetur quod non sit formaliter ens; ergo nequit ratione separari ens a suis differentiis.

RESPONSIO. — NEGO MAJ. — Ad hoc ut aliquis conceptus objectivus possit ab altero separari, sufficit quod ille sit magis abstractus, seu minus expressivus, quam secundus.

**180. Objectio 3.ª** — Saltem admitti nequit conceptus entis univocitate logica conveniens Deo et creaturis, siquidem Deus distat ab his infinite, et non minus quam ens reale ab ente ficto.

RESPONSIO. — NEGO ASSERT. — AD 1.m PROB., dico Deum ut talem distare infinite a creaturis, et esse infinite dissimilem illis, quatenus ejus perfectio non potest numerice comparari cum perfectione creaturae; cum hoc tamen cohaeret quod detur conceptus non exprimens Deum ut talem, neque creaturam ut talem, qui gaudeat univocitate logica respectu Dei et creaturae. — AD 2.m PROB., respondeo Deum, si non minus, tamen aliter distare a creatura, quam ens reale ab ente ficto, scilicet, tamquam unum extremum reale ab altero extremo reali, quae proinde in habenda realitate conveniunt.

**181. Objectio 4.ª** — Ens univocitate logica conveniens Deo et creaturis, esset quid prius, superius et simplicius Deo, quod repugnat.

RESPONSIO. — NEGO quod habeatur ulla repugnantia in eo quod ens abstractum sit Deo prius prioritate logica, seu in subsistendi consequentia, etenim bene arguitur *hoc objectum est Deus, ergo est ens*, minime vero e converso. Similiter non est absurdum, quod ens sit superius logice, seu latius patens in praedicando,

nam haec superioritas non est propria Dei. Demum, quamvis nihil possit esse Deo simplicius in sensu reali, nulla ratio impedit quominus ens abstractum sit logice simplicius, seu magis excludens distinctionem rationis in plura praedicata.

**182. Contra 2.m thesim. — Objectio 1.a** — Perseitas, v. gr., definitur per ens in obliquo, scilicet, *talitas entis*, vel *determinatio entis ad substantiam;* ergo ipsa non est formaliter *ens*.

RESP. — NEGO CONSQTM. — Quamvis in definitione perseitatis *ens* ponatur explicite in obliquo, etiam implicite importatur in recto, siquidem illa *talitas* vel *determinatio* concipitur ut quid reale.

**183. Objectio 2.a** — Vel substantia et accidens ut talia sunt unice *ens*, vel insuper aliquid aliud: si primum, substantia et accidens nullatenus formaliter differrent; si secundum, substantia et accidens habent praedicata differentialia, scilicet, perseteitam et inalietatem, quae formaliter sint aliud ab ente, ac proinde non sint formaliter ens.

RESPONSIO. — CONC. DISJUNCT., sed dico perseitatem et abalietatem esse aliud ab ente, *alietate non mutua*, consistente in hoc quod ens ut tale neque sit formaliter perseitas, neque abalietas, quum tamen ipsae sint formaliter ens. — Hinc patet ens non esse totam essentiam substantiae, nec partem actualem ejus, quamvis tota essentia substantiae sit ens.

**Instabis.** — Illud quod substantia addit enti, reddit illam dissimilem accidenti; atqui si illud esset formaliter ens, redderet illam similem huic; ergo illud quod substantia addit enti non est formaliter ens.

RESPONSIO. — DIST. MAJ.: reddit illam *pure* dissimilem, NEGO; *non pure*, CONC.

**184. Objectio 3.a** — Si perseitas est formaliter ens, inepte definitur substantia *ens per se;* sicut inepte homo definiretur *animal rationale*, si rationale esset formaliter animal.

RESPONSIO. — NEGO ASSERTUM, et DISTINGUO PROBA-

TIONEM : inepte definiretur, si conceptus *rationale* non esset magis expressivus quam conceptus *animal*, CONC ; si esset magis expressivus, et non posset adhiberi alius ab *animali* praescindens, NEGO.

**185. Objectio 4.ª** — Ens, quum non sit formaliter perseitas, illam excludit ab essentia sua ; atqui nihil potest ese formaliter illud a quo excluditur ; ergo perseitas non potest esse formaliter ens.

RESPONSIO. — DIST. MAJ. : illam excludit *positive*, NEGO ; mere *praecisive*, SUBDIST. : sub conceptu praecise exprimente *ens*, CONC. ; sub conceptu exprimente *perseitatem*, NEGO. — Ita excludit ens perseitatem, sicut animal hominem.

**186. Objectio 5.ª** — Si perseitas est formaliter ens, sequitur juxta regulas conversionis quod aliquod ens sit formaliter perseitas ; et similiter dici posset de omnibus aliis differentiis. Nequit ergo dari conceptus entis ab omnibus his vere praescindens.

RESPONSIO — NEGO ANTEC. — Juxta regulas conversionis erui debet *ergo aliquod quod est formaliter ens, est perseitas.*

# INDEX

## INTRODUCTIO IN PHILOSOPHIAM

Pag.

Definitio Philosophiae. — Ipsius divisio. — De ordine sequendo in Philosophia tradenda. — De subordinatione agnoscenda inter Philosophiam et alias scientias. — De utilitate Philosophiae. — Brevis recensio chronologica praecipuorum Philosophiae cultorum. . . . . 1

## DIALECTICA

### NOTIONES PRAELIMINARES

Definitio Dialecticae. — Ipsius natura et utilitas. — Divisio actuum intellectus. — Divisio Dialecticae. 8

### CAPUT I

**De conceptu mentali aliisque quaestionibus affinibus**

Divisio hujus capitis. . . . . 9

### ARTICULUS I

DE NATURA LOGICA CONCEPTUS MENTALIS, ATQUE VOCUM QUIBUS IPSE EXPRIMITUR

Definitio conceptus, seu verbi mentalis. — Comprehensio et extensio conceptus. — Definitio et divisio signi. — Quomodo voces sint signa. . . . . 10

## ARTICULUS II

### DE TERMINIS JUDICII VEL PROPOSITIONIS

Pag.

Definitio termini. — Divisio termini ex suo modo significandi. —Ex gradu perfectionis. — Ex modo quo objectum proponit. — Ex modo quo objecto applicatur. — Ex ipsius extensione. — Notanda . . . 1

## ARTICULUS III

### DE SUPPOSITIONE, APPELLATIONE ET ALIENATIONE TERMINORUM

Definitio suppositionis. — Ipsius divisio. — De appellatione. — De alienatione. . . . . 17

## ARTICULUS IV

### DE PRAEDICABILIBUS ET PRAEDICAMENTIS

Definitio et divisio praedicabilium. — Coordinatio conceptuum genericorum. — Tabella in qua descenditur a substantia ad hominem per genera intermedia. — De categoriis seu praedicamentis. — Divisio entitatum realium in substantiam et accidens. — Subdivisio accidentis. . . . . 19

## ARTICULUS V

### DE DEFINITIONE

Quid sit definitio; prima divisio ipsius. — Divisio definitionis nominalis. — Divisio definitionis realis. — Regulae definitionis. — Notanda. . . . . 23

## ARTICULUS VI

### DE DIVISIONE

Quid sit divisio; ejus utilitas. — Totum ejusque classes; species divisionis. — Ipsius regulae. — Notandum. . . . . 27

## CAPUT II

### De judicio et propositione

Pag.

Divisio capitis. . . . . 29

### ARTICULUS I

DE JUDICIO ET PROPOSITIONE IN GENERE

Definitio judicii. — Definitio propositionis. — Hujus divisio. . . . . 30

### ARTICULUS II

DE PROPOSITIONIBUS SIMPLICIBUS ET CATEGORICIS

Divisiones propositionis categoricae. — Notanda. — De valore subjecti et praedicati. — Regulae circa extensionem subjecti. — Regulae circa praedicatum. . . . . 31

### ARTICULUS III

DE PROPOSITIONIBUS COMPLEXIS

Definitio et divisio propositionis complexae. — De propositione conditionali. — De propositione causali. — De propositione disjunctiva. — De propositione conjunctiva. — De propositione copulativa. 35

### ARTICULUS IV

DE CORRELATIONE PROPOSITIONUM

De propositionibus subalternis. — De oppositione propositionum. — De propositionibus contradictoriis. — De propositionibus contrariis. — De propositionibus subcontrariis. — Tabella propositionum oppositarum. — De aequipollentia. — De conversione propositionum. — Notandum. . . . . 37

## CAPUT III

### De ratiocinio

Pag.

Objectum et divisio capitis . . . . . 42

### ARTICULUS I

#### DE RATIOCINIO ET ARGUMENTATIONE IN GENERE

De ratiocinio, argumentatione et consequentia. —Regula generalis bonae consequentiae. — Aliae regulae. — Species argumentationum ratione materiae. — De praenotionibus. — De principiis argumentationum. . . . . 43

### ARTICULUS II

#### DE SYLLOGISMO SIMPLICI ET CATEGORICO

Definitio syllogismi. — Principia quibus nititur syllogismus simplex et categoricus. — Regula generalis syllogismi ordinarii. — Regulae particulares.— — De figuris et modis syllogismi. — Notandum. — De syllogismo expositorio. . . . . 47

### ARTICULUS III

#### DE ALIIS ARGUMENTATIONIBUS EX SYLLOGISMO SIMPLICI DERIVATIS

De enthymemate. — De epicherema. — De polysillogismo. — De sorite. — De dilemmate. — De inductione. . . . . 55

### ARTICULUS IV

#### DE QUIBUSDAM SYLLOGISMIS COMPLEXIS

De syllogismo conditionali. — De syllogismo disjunctivo. — De syllogismo conjunctivo. . . . . 59

## ARTICULUS V

DE ARGUMENTATIONUM VITIIS PRIMA FRONTE NON APPARENTIBUS

Pag.

Quid sit fallacia, sophisma et paralogismus. — De aequivocatione. — De amphibologia. — De compositione. — De divisione. — De transitu a relativo ad absolutum, aut viceversa. — De ignorantia elenchi. — De petitione principii. — De falsa causa. . 61

## ARTICULUS VI

DE PRINCIPIIS ARGUMENTATIONUM PROBABILIUM

Quid sit argumentatio probabilis. — De conspectibus numericis. — De calculo probabilitatum.—De analogia. — De hypothesi. — Notanda. . . . . 64

## CAPUT IV

### De methodo

Objectum et divisio capitis. . . . . 69

## ARTICULUS I

DE METHODO IN GENERE, EJUSQUE DIVISIONE IN ANALYTICAM ET SYNTHETICAM

Definitio methodi. — Ipsius regulae generales. — Divisio methodi. — Diversi casus, in quibus analysis vel synthesis locum habent. — Necessitas analysis et synthesis — Corollarium. . . . . 69

## ARTICULUS II

DE METHODO SERVANDA IN SCIENTIIS PHYSICIS ET HISTORICIS

De objecto scientiarum physicarum. — Requisita ad bene observandum. — Regulae ad detegendam veram causam phaenomenorum. — De objecto scien-

Pag.

tiarum historicarum. — Regulae criticae internae documentorum. — Regulae criticae externae. — De argumento negativo. — Regulae Hermeneuticae 71

### ARTICULUS III

DE METHODO DOCENDI ET DISCENDI IN SCIENTIIS SPECULATIVIS

De methodo docendi. — De methodo studendi. — De utilitate disputationum. — Harum species. — Regulae generales disputationis. — De forma scholastica disputandi. . . . . 76

## CRITICA

### NOTIONES PRAELIMINARES

Definitio hujus partis Logicae. — De cognitionibus et facultatibus cognoscitivis. — Divisio Criticae . . 81

### CAPUT I

**De veritatis ac certitudinis natura**

Divisio capitis . . . . . 83

### ARTICULUS I

DE VERITATIS LOGICAE NATURA

De triplice veritate. — Quaestio circa veritatem logicam. — THESIS 1.ª *Veritas logica tantum invenitur perfecte in judicio.* — De falsitate. — De judiciis contingenter veris. — THESIS 2.ª *Non omne judicium verum veritate gaudet essentialiter.* — Notandum. — De doctrina relativismi in veritate. — De constitutivis veritatis logicae. — THESIS 3.ª *Veritas logica constituitur per actum et objectum.* — Notanda. — Objectiones. . . . . 83

## ARTICULUS II

### DE CERTITUDINIS NATURA

Pag.

De statibus mentis in ordine ad veritatem. — Declaratio notionis certitudinis. — Divisiones certitudinis. — Notanda. — THESIS 1.ª *Certitudo quoad elementum negativum consistit in indivisibili; secus vero quoad elementum positivum.* — Quaestio circa certitudinem physicam et moralem. — THESIS 2.ª *Merito admittitur certitudo physica et moralis.* — De probabilitate. — Objectiones. . . . . 96

## CAPUT II

### De existentia legitimae certitudinis et de ejus criterio

Status quaestionis et divisio capitis. . . . . 103

## ARTICULUS I

### REFUTATIO SCEPTICISMI VULGARIS

Status quaestionis. — THESIS. *Scepticismus vulgaris absurdus est.* — Objectiones. . . . . 105

## ARTICULUS II

### REFUTATIO DUBITATIONIS METHODICAE CARTESIANAE ET POSITIO TRIUM POSTULATORUM

Expositio systematis cartesiani. — THESIS 1.ª *Absurdum est de omnibus serio dubitare velle.* — THESIS 2.ª *Principium «ego cogito, ergo sum» nequit esse primum principium philosophicum.* — THESIS 3.ª *Mera claritas cognitionis non semper sufficit ad certitudinem realisticam habendam.* — THESIS 4.ª *In methodo cartesiana neque admitti potest veracitas facultatum cognoscitivarum.*—De tribus postulatis.—THESIS 5.ª *Tres dantur veritates praesupponendae tamquam postulata.* . . . . . 108

## ARTICULUS III

### REFUTATIO CRITICISMI KANTIANI

Pag.

Expositio systematis kantiani. — THESIS 1.ª *Doctrina kantiana arbitraria et contradictoria est.* — THESIS 2.ª *Ratio practica kantiana est insufficiens ad vitandum scepticismum.* . . . . . 112

## ARTICULUS IV

### POSITIVE OSTENDITUR DARI LEGITIMAM CERTITUDINEM, EJUSQUE CRITERIUM ESSE EVIDENTIAM

Status quaestionis. — Quid sit criterium. — Quid sit evidentia. — Divisiones evidentiae. — THESIS 1.ª *Potest dari certitudo in judiciis ordinis idealis; ejus autem criterium est evidentia.* — THESIS 2.ª *Etiam potest dari certitudo in judiciis ordinis realis, ejusque criterium est evidentia.* — THESIS 3.ª *Evidentia est criterium generale et ultimum certitudinis in ordine naturali.* — Notandum. — Objectiones . . . . . 114

## ARTICULUS V

### REFUTATIO PRAECIPUARUM OPINIONUM ERRONEARUM CIRCA SUPREMUM CERTITUDINIS CRITERIUM

Status quaestionis — Opiniones a Reid et Jacobi propugnatae. — THESIS 1.ª *Neque instinctus reidianus neque sensus jacobianus possunt esse unicum aut ultimum certitudinis criterium.* — Traditionalismus et lamennismus. — THESIS 2.ª *Neque traditio neque consensus universalis sunt unicum aut supremum criterium certitudinis.* — Pragmatismus seu utilitarismus. — THESIS 3.ª *Utilitas non est unicum aut supremum criterium veritatis.* — Objectiones. . . . . 121

## ARTICULUS VI

### DE VERO VALORE SENSUS COMMUNIS ET CONSENSUS UNIVERSALIS, ATQUE DE CAUSIS ERRORUM NOSTRORUM

Pag.

De sensu communi. — De consensu universali. — Quo pacto sensus communis et consensus universalis sint criterium certitudinis. — THESIS. *Consensus universalis, qui explicari non possit per causam generalem erroris, est criterium speciale certitudinis.* — De causis errorum nostrorum. . . . . 125

## CAPUT III

### De fontibus certitudinis ordinem realem respicientis

Status quaestionis et divisio capitis. . . . . 130

## ARTICULUS I

### DE VERACITATE CONSCIENTIAE

Quid sit conscientia. — De objecto conscientiae. — THESIS. *Conscientia quoad existentiam propriorum actuum intentionalium et proprii* ego *est fons certitudinis.* — Objectiones . . . . . 131

## ARTICULUS II

### DE VERACITATE SENSUUM EXTERNORUM ET COMMUNIS

Status quaestionis. — Conditiones ne sensus errent. — Corollarium. — THESIS 1.ª *Sensationes nostrae externae probant realitatem rerum nobis externarum.* — Notandum. — THESIS 2.ª *Sensus nostri, positis debitis conditionibus, exhibent res prout revera sunt.* — Objectiones. . . . . 134

## ARTICULUS III

### NOTIONES GENERALES CIRCA AUCTORITATEM TESTIMONII ALIENI

Pag.

De testimonio et teste. — De effectibus auctoritatis. — Regulae circa scientiam et veracitatem testium. 139

## ARTICULUS IV

### DE AUCTORITATE HUMANA QUOAD FACTA HISTORICA

Status quaestionis. — De tendentia hominis ad assentiendum auctoritati. — THESIS 1.ª *Homo habet naturalem tendentiam ad assentiendum auctoritati.* — THESIS 2.ª *Servatis debitis conditionibus, auctoritas humana est fons certitudinis quoad facta historica.* — De traditione, monumentis et historia. — Objectiones. . . . . 141

## ARTICULUS V

### DE AUCTORITATE SCIENTIFICA

Valor auctoritatis scientificae. — Notandum. — Systematismus et eclecticismus. — De eclecticismo propugnato a Cousin. . . . . 147

## CAPUT IV

**De scientia in se et in suis relationibus cum fide**

Divisio capitis. . . . . 149

## ARTICULUS I

### DE NATURA ET DIVISIONIBUS SCIENTIAE

Definitio scientiae. — De characteribus scientiae. — De objecto scientiae. — Criterium ad scientias distinguendas. — Divisiones scientiae. — Notandum. — Divisio moderna scientiarum. . . . . 149

## ARTICULUS II

### DE NATURA UNIVERSALIUM, CIRCA QUAE SCIENTIAE VERSANTUR

Pag.

Status quaestionis.—Opiniones diversae.—THESIS 1.ª *Nominalismus purus absurdus est.* — THESIS 2.ª *Conceptualismus etiam est absurdus.*—THESIS 3.ª *Universale in essendo nequit dari a parte rei independenter a consideratione mentis.* — THESIS 4.ª *Agnosci debent universalia objectiva, quae tamen ab intellectu accipiant unitatem requisitam.* — Notanda. — Objectiones . . . . . 154

## ARTICULUS III

### DE RELATIONIBUS INTER SCIENTIAM ET FIDEM

Status quaestionis. — De harmonia inter Scientiam et Fidem. — De mutuo juvamine inter ipsas. — De praestantia Fidei respectu Scientiae.—Corollarium 162

# ONTOLOGIA

## NOTIONES PRAELIMINARES

Definitio Ontologiae.—Objectum atque utilitas ipsius. — Ejus divisio . . . . . 167

### CAPUT I

### De notione entis et de primo principio metaphysico

Declaratio notionis entis. — De oppositis enti. — De primo principio metaphysico.—THESIS. *Principium contradictionis est primum principium metaphysicum.* . . . . . 168

## CAPUT II

### De aliquibus praedicamentis et notionibus connexis

Pag.

Status quaestionis et divisio capitis. . . . . 170

### ARTICULUS I

#### DE SUBSTANTIA ET ACCIDENTI PHYSICO

Declaratio conceptus substantiae et accidentis. — Falsae definitionis substantiae. — Divisiones substantiae.—De objectivitate ideae substantiae et accidentis. — THESIS 1.ª *Idea substantiae habet valorem objectivum.* — THESIS 2.ª *Admitti debent accidentia realiter distincta a substantia, et aliquod eorum esse ab hac realiter separabile.* — Objectiones. . . . . 171

### ARTICULUS II

#### DE ACTU, POTENTIA ET MUTATIONE

Declaratio notionum actus et potentiae (passivae). — Declaratio conceptus mutationis. — Definitio aristotelica mutationis. — Divisiones mutationis. — Divisio entis in immutabile et mutabile. — THESIS. *Ens physice et intrinsece mutabile est potentiale; ens autem excludens omnem mutationem physicam et intrinsecam est actus purus.* . . . 178

### ARTICULUS III

#### DE HYPOSTASI ET PERSONA

Quid sit hypostasis. — Opiniones circa distinctionem inter hypostasim et naturam. — Quid sit persona. — Quid sit personalitas. — THESIS. *Personalitas completa non consistit in sola conscientia.* . . . 182

## ARTICULUS IV

### DE RELATIONE

Pag.

Declaratio conceptus relationis. — Divisiones relationis. — Conditiones relationis realis. — Opiniones circa relationem.—THESIS. *Relatio adaequate identificatur cum ratione objectiva propter quam tribuitur praedicatum relativum.* — Objectiones. . . 185

## CAPUT III

### De causis, quas ens habere potest

Divisio capitis. . . . . 192

## ARTICULUS I

### DE NOTIONE CAUSAE ALIISQUE CUM IPSA CONNEXIS

De notione principii. — Declaratio notionis causae. — Divisiones ipsius. — Notio rationis sufficientis. — THESIS. *Non omne principium est causa, nec omnis ratio sufficiens est principium.*—Declaratio conceptus naturae. — Principia demonstrationis, quae ex praecedentibus notionibus inferuntur. — Principium rationis sufficientis. — Principium causalitatis. — Duo principia ex notione naturae deducta. — Applicationes horum principiorum. . 192

## ARTICULUS II

### DE NATURA ET DIVISIONIBUS CAUSAE EFFICIENTIS

De natura causae efficientis. — Divisiones ipsius. — Quomodo causa efficiens contineat perfectiones effectus. — THESIS. *Causa efficiens continere debet formaliter aut eminenter omnes perfectiones effectuum, quos producere potest.* — Notandum. 198

## ARTICULUS III

### DE OBJECTIVITATE CONCEPTUS CAUSAE EFFICIENTIS ET REFUTATIO OCCASIONALISMI

Pag.

Status quaestionis. — THESIS 1.ª *Conceptus causae efficientis habet valorem objectivum.* — THESIS 2.ª *Occasionalismus est absurdus.* — Objectiones. . . 201

## ARTICULUS IV

### DE ACTIONE ET PASSIONE

Declaratio notionum actionis et passionis. — THESIS 1.ª *Dantur actiones realiter distinctae a causa et ab effectu, quae sunt entitates modales.* — Notandum. — THESIS 2.ª *Actio eductiva identificatur cum passione.* — Notanda. — Objectiones. . . . 205

## ARTICULUS V

### DE CAUSA FINALI ET FINE, ATQUE DE CAUSA EXEMPLARI

Declaratio conceptus finis et causae finalis. — Divisiones finis. — THESIS. *Merito admittitur causa finalis.* — Causalitas causae finalis. — De causa exemplari. — Objectiones. . . . . 209

## ARTICULUS VI

### DE CAUSA MATERIALI ET FORMALI

Definitio causae materialis et formalis. — Divisio materiae et formae. — Causalitas earum. — Objectio . . . . . 213

## CAPUT IV

### De attributis entis et notionibus connexis

Status quaestionis et divisio capitis . . . . . 215

## ARTICULUS I

### DE VERITATE ET BONITATE TRANSCENDENTALI AC DE MALO

Pag.

Declaratio notionis veritatis.—Notandum.—THESIS 1.ª *Veritas transcendentalis est attributum entis.* — Declaratio notionis bonitatis. — THESIS 2.ª *Bonitas transcendentalis est attributum entis.* — Declaratio notionis mali. — De natura mali. . . . . 216

## ARTICULUS II

### DE PERFECTIONE ET INFINITUDINE

Declaratur conceptus perfectionis. — De ente finito et infinito in perfectione. — Declaratio notionis indefiniti. — De formatione notionum finiti et infiniti. — THESIS 1.ª *Transcendentalis conceptus entis longe differt a conceptu infiniti.* — Objectio. — THESIS 2.ª *Generalis conceptus entis finiti non praesupponit conceptum entis infiniti, sed efformatur per abstractionem ex entibus experientia cognitis.* — THESIS 3.ª *Conceptus entis infiniti, quem habemus, non efformatur coacervando perfectiones finitas, sed addendo conceptui generali perfectionis remotionem omnis limitis.* — De possibilitate infiniti actualis. — Argumentum pro impossibilitate numeri infiniti. — Declaratur ejus insufficientia. — Corollaria impossibilitatis numeri infiniti. . . . . 219

## ARTICULUS III

### DE NOTIONE UNITATIS TRANSCENDENTALIS ET ALIIS CONNEXIS

Declaratio notionis unitatis. — Divisiones unitatis. — THESIS. *Unitas transcendentalis est attributum entis.* — De conceptibus multitudinis et numeri.— Notandum. — Declaratio conceptus identitatis. — Divisiones identitatis. — Declaratio conceptus distinctionis. — Divisiones distinctionis. — Notanda. 224

## ARTICULUS IV

### DE INDIVIDUO EJUSQUE GRADIBUS METAPHYSICIS

Pag.

Declaratio notionis individui et individuationis. — THESIS 1.ª *Quaelibet entitas, si consideratur prout est in rerum natura, seu absque ulla abstractione, est individua.* — THESIS 2.ª *Differentia pure individualis logicę addit aliquid positivum rationi specificae.* — De gradibus metaphysicis. — THESIS 3.ª *Inter gradus metaphysicos ejusdem individui nulla datur distinctio actualis independens ab intellectu.* — THESIS 4.ª *Per actus intellectus nostri nulla fit divisio in ipsis rebus inter gradus metaphysicos.* — De principio individuationis pure numericae. — THESIS 5.ª *Nulla ratio urgens habetur ad fundandam in materia omnem differentiationem pure numericam.*—Notandum.—Objectiones. 230

## CAPUT V

### De ente necessario et contingenti

Divisio capitis. . . . . 242

## ARTICULUS I

### DE NOTIONIBUS ENTIS NECESSARII ET CONTINGENTIS

Declaratio conceptus entis necessarii et contingentis. — THESIS 1.ª *Ens contingens indiget causa ad existendum.* — THESIS 2.ª *Existit aliquod ens absolute et intrinsece necessarium; hoc autem ens est unicum.* — Corollaria. — Notanda. . . . . 243

## ARTICULUS II

### DE POSSIBILITATE ENTIUM CONTINGENTIUM

Declaratio conceptus possibilitatis. — Diversae classes ipsius. — De possibilitate metaphysica entium contingentium. — THESIS 1.ª *Admitti debet possibi-*

Pag.

*litas indistincta a re possibili, et consistens in cohaerentia omnium praedicatorum vel constitutivorum ipsius.* — THESIS 2.ª *Possibilitas formalis rei non existentis caret omni actualitate physica.* — De ultimo fundamento possibilitatis metaphysicae. — THESIS 3.ª *Essentia divina est ultimum fundamentum possibilitatis intrinsecae rerum contingentium.* — Objectiones. . . . . 246

## ARTICULUS III

### DE ESSENTIIS ENTIUM CONTINGENTIUM

Declaratio conceptus essentiae. — De cognitione essentiarum. — THESIS 1.ª *Intellectus humanus potest cognoscere essentias rerum contingentium.* — De proprietatibus essentiarum. — THESIS 2.ª *Essentiae creaturarum in statu ideali sunt necessariae, immutabiles et aeternae* — THESIS 3.ª *Essentiae rerum consistunt in indivisibili.* — THESIS 4.ª *Essentiae creaturarum in statu reali sunt contingentes et mutabiles.* . . . . . 251

## ARTICULUS IV

### DE EXISTENTIA ENTIUM CONTINGENTIUM

Declaratio conceptus existentiae. — THESIS 1.ª *Omnis hypostasis creata realiter distinguitur a suo esse totali.* — Quaestio. — THESIS 2.ª *In creaturis essentia et existentia distinguuntur quidem logice ut potentia et actus; sed earum distinctio entitativa non videtur demonstrari.* — Notandum. — De mente Sancti Thomae. — Objectiones. . . . . 254

## CAPUT VI

### De stricta unitate et transcendentia formali conceptus entis

Status quaestionis. — THESIS 1.ª *Datur ratio abstractissima entis, quae est vere una.* — THESIS 2.ª *Ratio abstractissima entis transcendit formaliter omnes differentias.* — Notanda circa analogiam et univocitatem entis. — Objectiones. . . . . 263

EUGENIO SUBIRANA, Editor Pontificio
Apartado 203 - Tel. 1579 A - Puertaferrisa, 14 - BARCELONA

# ORIGEN DIVINO DE LA IGLESIA CATÓLICA Y DE SU DOGMA

## (CURSO DE APOLOGÉTICA)

por el P. FRANCISCO MARXUACH, S. J.

Puede considerarse esta obra como un apéndice del *Compendio de Filosofía escolástico-contemporánea*, o más bien, como una *extensión* del mismo a la apologética católica, que harán muy bien en adoptar las escuelas donde aquél sirva de texto, y aun las que, para la formación intelectual de sus alumnos, quieran aprovecharse de las excelencias de la Escolástica.

Es un compendio de Apologética, breve y sencillo, pero a la vez completo y vigoroso, escrito en forma rigurosamente didáctico-escolástica. Sus cualidades específicas son: Densidad doctrinal, selección de cuestiones, precisión y rigorismo en la demostración, método impecable y modernidad candente. Libre de hojarasca verbal, acostumbra al alumno a la exposición robusta, a la argumentación contundente y al manejo de la dialéctica aristotélica, maravilloso instrumento para la defensa de la verdad desnuda de oropeles retóricos. Es un libro muy a propósito para toda clase de personas que deseen convencerse o convencer a otros del origen divino de la Iglesia católica y de su dogma. Más que en otros libros oratorios de apologética, se ve aquí claramente, y aun se siente, la férrea armazón científica que puede conducir la mente hasta los confines de la Fe, demostrando a los espíritus más exigentes que el asentimiento a ella no es algo arbitrario, sino *rationabile obsequium*.

Un tomo en 8.°, a pesetas 4 en tela inglesa.

# COMPENDIO DE FILOSOFÍA ESCOLÁSTICO - CONTEMPORÁNEA

**arreglado por el P. FRANCISCO MARXUACH, S. J., tomando por base la Filosofía del P. Ginebra.** — Tomo I: **Lógica y Ontología.** — Tomo II: **Cosmología, Psicología y Teodicea.** — Tomo III: **Ética o Moral**

El método rigurosamente didáctico de esta obra, su brevedad y claridad de exposición, su precisión y fijeza de ideas, su vigor de argumentación, su felicísima visión de la filosofía escolástica, su debida ponderación en las cuestiones explicadas, y eliminación de opiniones secundarias de escuelas, hacen de este libro el texto favorito de toda persona medianamente culta en filosofía. Interesa particularmente a los profesores y alumnos de 2.ª enseñanza.

**A pesetas 5'50 en rústica y 8 en tela.**

---

# CURSO TEÓRICO - PRÁCTICO DE PSICOLOGÍA EXPERIMENTAL

**por el P. HUBERT GRÜENDER, S. J.**

TRADUCCIÓN CASTELLANA DEL P. FERNANDO M.ª PALMÉS, S. J.

No es éste un libro puramente teórico que pretenda presentar en síntesis didáctica los problemas, métodos y resultados de esta ciencia, como lo hace el del P. de la Vaissière, ni es tampoco un puro manual de Laboratorio o repertorio de experimentos propuestos sin miras algunas a la teoría. Con muy profundo sentido pedagógico, de tal manera propone el P. Grüender los 125 experimentos contenidos en su libro, que insensiblemente lleva al discípulo de la práctica a la teoría, iniciándole así de la manera más completa, en el conocimiento teórico práctico de la Psicología experimental. Para esto, el autor ha hecho una selección entre la multitud de problemas psicológicos que sería imposible exponer en una sola obra por voluminosa que fuese. Los experi-

mentos escogidos son, por una parte, aptísimos para introducir prácticamente al estudiante en el trabajo de Laboratorio y en la formación de la teoría, y por otra son tales que pueden realizarse sin necesidad de costosos aparatos y por medios que están al alcance de todo profesor.

En definitiva, el libro es tal que nos parece el mejor medio, no solamente para despertar en los discípulos el interés por las investigaciones de la Psicología experimental, sino también para desarrollar en ellos la aptitud para la observación y experimentación científica en general.

Un tomo en 4.°, de XXVIII-330 páginas, a pesetas 8'50 en rústica y 11 encuadernado en tela.

---

# ELEMENTOS DE PSICOLOGÍA EXPERIMENTAL

**por el P. J. DE LA VAISSIÈRE, S. J., Profesor en el Colegio de Jersey.** Obra premiada por la Academia Francesa en 1914. Con las notas y apéndices de la edición italiana del **P. Francisco Gaetani, S. J.** Traducción castellana de la 3.ª edición francesa, con adiciones, notas y figuras, por el **P. Fernando M.ª Palmés, S. J.**, Profesor de Psicología en el Colegio Máximo de San Ignacio, Sarriá (Barcelona).—Segunda edición notablemente corregida y aumentada

Presentar una síntesis acabada y metódica de la copia dispersa de experimentos y doctrinas de los mejores autores acerca de esta moderna disciplina, para que pudiera servir de base y punto de partida a los problemas de Psicología metafísica, como sirven a las tesis cosmológicas los datos de la Física y la Química, es lo que se propuso el P. de la Vaissière en la presente obra, y lo consiguió con éxito por nadie superado, sin salirse jamás del campo experimental ni contradecir en lo más mínimo el carácter positivo de esta ciencia. Este libro se presta, pues, en gran manera para ser explicado paralelamente con cualquiera de los textos de Filosofía que están ya acreditados, como por ejemplo Zigliara, Urraburu, Ginebra-Marxuach, etc.

Un tomo en 4.°, de unas 680 páginas, a 15'50 pesetas en rústica y 18 tela.

102
M 369
7763
MARXUACH, F.
AUTHOR
Compendium Dialecticae etc.
TITLE

| DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER |
| --- | --- | --- |
| 2/5/39 | Jos. D. O'Brien JUN | 9 |

7763